DE SEXTI DECIMI SÆCULI
IN FRANCIA
ARTIBUS POETICIS

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

DOCTORIS GRADUM ADEPTURUS

PROPONEBAT

GEORGES PELLISSIER

UNIVERSITATI AGREGATUS

IN NANCEIANO LYCÆO RHETORICÆ PROFESSOR

PARIS
VIEWEG, LIBRAIRE-ÉDITEUR
67, RUE RICHELIEU

1882

DE SEXTI DECIMI SÆCULI

IN FRANCIA

ARTIBUS POETICIS

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

DOCTORIS GRADUM ADEPTURUS

PROPONEBAT

Georges PELLISSIER

UNIVERSITATI AGREGATUS

IN NANCEIANO LYCÆO RHETORICÆ PROFESSOR

PARIS

VIEWEG, LIBRAIRE-ÉDITEUR

67, RUE RICHELIEU

1882

PROŒMIUM

Nonnulla in hoc opusculo, seu personarum, seu rerum nomina usurpanda nobis fuerunt, quæ in latinæ linguæ usu non versantur, vel alium sensum accipiunt.

Personarum nomina ex Thuani historiis plerumque petivimus, vel ex aliis ejusdem ætatis auctoribus qui latinè scripserunt. Quæ vero non anteæ sermone gallico versa erant, eo modo transtulimus, ut analogia diligenter servaretur.

Rerum nomina ex quinti decimi vel sexti decimi sæculi consuetudine sumus mutuati; sed vocabulis quibusdam, quæ ad latinæ linguæ morem referri posse non videbantur, gallicæ appellationis reddendæ veniam aliquando sumpsimus.

INDEX

NOMINA PROPRIA

A. Albinius, A. d'Aubigné (ex Thuano).

Aligerius, Dante Alighieri (ex Thuano).

Ariostus, L'Arioste (italice Ariosto. Cf. Balassus, Bancus, etc., ex Thuano).

Arthurus, Arthur (Cf. Walterus, Guntherus, etc., ex Thuano).

Auratus, Daurat (ex Thuano).

Baïfius, Baïf (ex Thuano).

Bartassius, Du Bartas (ex Thuano).

Bellaius, Du Bellay (ex Thuano).
Bellaqueus, Belleau (ex Thuano).
Th. Beza, Th. de Bèze (ex Thuano).
Bertaltus, Bertault (Cf. Reinaldus, Rigaltus, etc., ex Thuano).
Bochetus, Bouchet (ex Thuano).
Brodaeus, Brodeau (ex Thuano).
Brunettus Latinus, Brunetto Latini (Cf. Brunellus, Brunetus, etc., ex Thuano).
Buchananus, Buchanan (ex Thuano).
Cantalupius, Chantelouve (ex Thuano).
Carterius, Chartier (ex Thuano).
Castellanus, Chastelain (ex Thuano).
Fl. Christianus, Florent Chrestien (ex Thuano).
Clavaeus, Clavé (Cf. Budaeus, etc., ex Thuano).
Colinius, Coligny (ex Thuano).
Colletetus, Colletet (ex Thuano).
Cretinus, Crétin (Cf. Grevinus, Rapinus, etc.).
Fauchetius, Fauchet (Cf. Huetius, Rondeletius, etc., ex Thuano).
Th. Gallus, Th. Lecoq (ex Thuano).
Garnerius, Garnier (ex Thuano).
Gratianus Pontius, Gratien du Pont (ex Thuano).
Grevinus, Grévin (ex Thuano).
Henotica factio, La Ligue (ex Thuano).
Heroetus, Heroët (Cf. Bochetus, Butetus, etc.).
Hotmanus (Hotman (ex Thuano).
Huetius, Huet (ex Gallia christiana).
Jallius, La Jaille (ex Thuano).
Jordanus, Jourdain (ex Thuano).
Jodellius, Jodelle (ex Thuano).
Laudunius, P. de Laudun (Cf. Larcantius, Lartigius, Guerinius, etc., ex Thuano).
Major (a Belgis), J. Le Maire (des Belges) (ex Thuano).
Marotus, Marot (ex Thuano).

MALHERBA, Malherbe (Cf. Malæ-Herbæ, ex Thuano).
PAPYRIUS MASSONIUS, Papyrius Masson (ex Thuano).
MASURIUS, Desmasures (Cf. Maserius, Marolius, Altarius, etc., ex Thuano).
MESCHINOTUS, Meschinot (Cf. Babelotus, etc., ex Thuano).
A. MINTURNUS, A. Minturne (ex Possevini *Tractatu de Poesi*).
MOLERIUS, Molière (Cf. Riverius, etc., ex Thuano).
MOLINETUS, Molinet (Cf. Bochetus, Butetus, etc.).
MONINIUS, Du Monin (Cf. Laudunius, Guerinius, etc., ex Thuano).
ANT. A MONTE-CHRISTIANO, A. de Montchrestien (Cf. Richardus a Sancto Laudo, etc., ex Thuano).
MOSSETUS, Mousset (Cf. Bochetus, etc.).
MUSSATUS, Mussato (Cf. Balassus, Bancus, etc., ex Thuano).
ORLANDUS, Roland (italicè Orlando).
PASCASIUS, Pasquier (ex Thuano).
PASSERATIUS, Passerat (ex Thuano).
PELLETARIUS, Pelletier (ex Thuano).
PERIONIUS, Périon (*J. Perionii dialogi*, 1546).
PERRONUS, Du Perron (ex Thuano).
PONTUS THIARDUS, Pontus de Thiard (ex Thuano).
PRATENSIS, Du Prat (ex Thuano).
PORTÆUS, Des Portes (ex Thuano).
RAPINUS, Rapin (ex Thuano).
RENAUDINUS, Renaudin (Cf. Rapinus, Grevinus, etc.).
RINALDUS, Renaud (italicè Rinaldo).
RONSARDUS, Ronsard (ex Thuano).
RUTEBOVIUS, Ruteboeuf (Cf. Bovius, *le capitaine* Bœuf, ex Thuano).
SALELLUS, Salel (Cf. Brunetellus, Bacellus, etc., ex Thuano).
SAMMARTHANUS, Sainte-Marthe (ex Thuano).
SANGELASIUS, Saint-Gelais (ex Thuano).
SCÆVA, Scève.
SIBILETUS, Sibilet (Cf. Butetus, Bochetus, etc.).

P. Stella, P. de l'Etoile (ex Thuano).
Stephanus, Estienne (ex Thuano).
Stuarta (Maria), Marie Stuart (ex Thuano).
Talia (Jac. a), Jacques de la Taille (Cf. Palia, etc., ex Thuano).
Tilius, Du Tillet (ex Thuano).
Torquatus Tassus, Torquato Tasso (Cf. Balassus, Bancus, etc., ex Thuano).
Valkelinus a Fraxineto, V. de la Fresnaie (Cf. Fraxinetum, ex Thuano).
Villo, Villon (Cf. Buisso, Bullo, etc., ex Thuano).
Vinea, De la Vigne (ex Thuano).

NOMINA COMMUNIA

Adnexus (rhythmus), Annexée (rime).
Balada, Balade (ex Infortunati Arte poetica).
Catenatus (rhythmus), Enchaînée (rime).
Concatenatus (rhythmus), Concatenée (rime).
Coronatus (rhythmus), Couronnée (rime).
Cruciatus (rhythmus), Croisée (rime); *cruciare*, croiser (ex Infort. Arte poetica).
Fraternus (rhythmus), Fraternisée (rime).
Implicitus (rhythmus), Entrelacée (rime).
Imperatorius (rhythmus), Emperière (rime).
Joculator, Jongleur.
Leoninus (rhythmus), Léonine (rime). (Ex Infort. Arte poetica).
Moralis fabula, Moralité.
Mysterium, Mystère (pièce de théâtre). (Ex Infort. Arte poetica).
Plebeia fabella, Fabliau.
Propago, Provignement.
Reciprocus (rhythmus), Rime d'écho.
Retrogradus (rhythmus), Rime rétrograde.

Regalis campus (cantus), Chant royal (ex Infort. Arte poetica).

Rhythmus, Rime (ex Infort. Arte poetica).

Rondellus, Rondeau (ex Infort. Arte poetica).

Servantasium, Servantois (ex Infort. Arte poetica).

Sonettum, Sonnet (italicè sonetto).

PRÆFATIO

Nulla unquam ætas plura de poetica opera quam sextum decimum sæculum nobis reliquit; nulla enim in ætate tantam vicissitudinum varietatem expertæ sunt domesticæ litteræ. Præcipuæ illius sæculi Artes poeticæ in hoc opusculo perpendentur. Non vero solum in animo habemus ad id operam dare, ut, quæ in iis præcepta tradantur, studiose repetamus ; immo nobis hoc præsertim est propositum, ut ex illa quasi recognitione continuos poesis nostræ progressus diligenter persequamur. Itaque non intra ipsarum Artium fines nostram hanc commentationem circumscribemus, sed ex singulis Artibus aliquam æqualis poesis imaginem ducere conabimur. Cum enim plures vatum greges sexto decimo sæculo vicissim floruerint, sua cuique est propria et peculiaris Poetica : unde apparet nihil magis interesse ad explorandum gallicæ poesis in eadem ætate curriculum, quam illa opera scrutari, quibus singulæ poetarum quasi familiæ disciplinam doctrinamque suam mandaverunt.

A Fabro Gratianoque Pontio est initium. Ii vero ad superiorem potius ætatem respiciunt : consenuit dudum mediæ ætatis poesis, et, ad alteram quasi infantiam revoluta, suis ipsius ineptiis nescio qua puerilitate indulget.

Jam Sibileti Ars, qui Marotum pro magistro habet, Græcam Latinamque antiquitatem redolere cœpit : sed gallici ingenii vena, quamvis ex veterum exempla-

rium pertractatione nonnihil assumpserit, vernaculum tamen odorem saporemque retinet; immo liberius audaciusque exsultare nondum ausa est; elegans quidem et faceta, rarissime assurgit. — Fontanus eadem prope de poesi, quæ Sibiletus, sentit. Hic vero eo tempore scribit, quo, priscarum ætatum heres, maxima laude vigebat Marotus; ille contra labentem jam languentemque superiorum vatum disciplinam adversus florentissimos juvenes frustra defendere conatur, qui poesim nostram ex veterum imitatione ab integro instituere decreverunt.

Pelletarius Ronsardi discipulus est; sed ante editur ejus Ars, quam inceptis promissisque finem imposuerit Pleias, omnesque novæ poesis fructus ad maturitatem duxerit. — Ronsardus ipse, quamvis tota recentiorum vatum disciplina ab eo proficiscatur, nihil tamen de poetica arte scripsit, quod illius ingenio vere par videatur. — Laudunius vero aliquid novi nusquam affert : Sibiletum hinc, illinc Pelletarium sequitur.

Valkelinus Artem illa tempestate componit, qua ad summum fortunæ gloriæque fastigium Pleias pervenerat; recentiori poesi idoneum exstruit monumentum, quo Ronsardum ejusque discipulos posterorum memoriæ commendet, eorumque operi quasi coronam imponat. Quibus ex fontibus hic hauserit, primum perpendemus; deinde quæ præcepta de singulis generibus mandet; tum vero, quemadmodum poesis nostræ historiam recolat; post autem, quæ partes ei inter Ronsardum ac Malherbam assignari debeant; denique, cum Malherba nullam Artem reliquerit, Bolæo, illius quasi heredi, Valkelinum conferemus.

Si prima specie poesis nostræ sexto decimo sæculo historia summatim attingitur, totum illius ævi spatium

in duas partes æquabiliter distribuendum sic videtur, ut altera ad mediam ætatem referatur, in altera autem veteris disciplinæ subita quædam commutatio improviso fiat. Sed, quamvis a posteriore sæculi parte priorem longe discrepare non infitiandum sit, haud fieri potest, ut nulla in priore indicia appareant, unde poesis nostræ ad veterum imitationem restauratio portendi queat, qualem Ronsardus ejusque amici susceperunt. Hæc autem ipsa signa in superiorum annorum Artibus poeticis facile deprehendemus.

Sextum decimum sæculum a Cretino usque ad Malherbam patet. Sed nusquam poesis nostræ perpetuus tenor subito quodam hiatu interrumpitur. Ex Fabro ad Sibiletum, ex Sibileto ad Pelletarium, ex Pelletario ad Valkelinum, per gradus quosdam progressio fit.

Ab eo autem tempore quo Valkelinus Artem condidit, universa summaque domesticæ poeticæ figura præscripta est, qualem Malherba ipse et Bolæus emendabunt quidem, non vero immutabunt. Ex Valkelini Arte recentioris in Francia poesis origines utcumque repetendæ sunt.

PRIMA PARS

DE FABRI ET GRATIANI PONTII ARTIBUS POETICIS

Quanta esset æqualis poesis inopia judicandi copiam nobis præbet Fabri Ars poetica, qui, Infortunati heres ac discipulus, sexti decimi sæculi initium cum proximi sæculi fine copulat. — Quædam de illius vita et operibus referuntur : huic poetarum gregi est adnumerandus, inter quos principem locum obtinent Meschinotus, Cretinus Molinetusque. — Quæ gallicæ poesis sub his magistris esset figura : Fabri Ars poetica cum inani æqualium vatum subtilitate penitus congruit ; ipsis carminum regulis suum opus circumscribit divinamque vatum artem ad sedulam harum observantiam redigit. — Totius poeticæ compendium argumento est. — De versu ipso. — De variis poematum generibus : poetarum ingenium certis ac præstitutis vel *rondelli* vel *baladæ* terminis includitur. — Maximam Artis partem *rhythmis* Faber impendit. — De diversis ipsorum *rhythmorum* generibus. — De variis *rhythmorum* inter se implicandorum rationibus. — Recte proprieque inscriptum est Fabri opusculum : Ars poetica qua doceatur omnis *rhythmorum* descriptio ; hoc enim titulo continetur tota æqualis poesis virtus ac natura.

Gratianus Pontius, de cujus vita et operibus pauca memorantur, in Arte poetica, nono et trigesimo sæculi anno edita, puerilibus Fabri ineptiis aliquid etiam spinosius adstruere videtur ; ejusdem tamen adversus recentiores quosdam poetas indignatio manifeste ostendit eos a superioribus poeticæ magistris sensim desciscere.

In priore sexti decimi sæculi parte morem a superioribus traditum mediæque ætatis instituta Francica poesis sequitur. Verum, ex quo prima habuerat initia, non ei fuerat idem semper et unus curriculi tenor ; duas enim nostræ poesis ætates longo in illo temporis intervallo jure discernas, quarum altera summa in epicis carminibus sublimitate, clarissimo in lyricis dicendi nitore ac splendore, dicacissimis in *plebeia fabella* salibus commendata erat ; itaque, si eundem cursum usque ad sextum decimum sæculum Galliæ poetæ tenuissent, non certe, restitutis Græcorum Romanorumque vatum exemplaribus, in veterum temerariam sæpius et incautam imitationem domestica poesis, avitæ disciplinæ fastidiosa, tam vehementi impetu confugisset. Etenim, quamvis ea, quæ a majoribus composita fuerant, opera multum longeque a consummata Latinæ ac Græcæ antiquitatis arte abessent, tamen, si

jamdudum oblivione quasi sepulta non jacuissent, sexti decimi sæculi recentiores poetas profecto dehortata essent, ne quidquid vernacula musa fudisset cæco contemptu prosequerentur, et pro recto pulchroque nihil, nisi quod Græci Romanique scriptores sacravissent, habere vellent. Profecto, veterum opera non immerito mirati, ad eorum similitudinem Gallicum ingenium fingere tentavissent; hanc vero legitimam antiquitatis observantiam patriæ venæ respectu quodam certe temperassent. At contra, ineunte jam sexto decimo sæculo, nemo fere inter Francos est, qui vetera nostrorum vatum scripta meminerit : epicis priscarum ætatum carminibus, commenticiæ quædam historiæ successerant, inficetis ineptisque nugis commendatæ; provincialium autem poetarum cantus exceperant nescio quæ verborum *rhythmorum*que præstigiæ, quibus jam poesis tota constare videbatur; quod vero ad plebeiam gallici ingenii venam attinet, viget quidem ea nec quicquam pristini salis amisit, sed in se non habet, unde divinum poetarum instinctum afflatumque excitet ac tueatur. Itaque non mirandum est, quod sexti decimi sæculi scriptores, cum illis indigenæ poesis operibus, quæ sola norant, perfecta antiquitatis monumenta conferrent, summa contemptione nostros, summa reverentia et quasi religione Græciæ Romæque vates sunt prosecuti.

Quanta esset, in primis sexti decimi sæculi temporibus, nostræ poesis inopia, Petri Fabri Ars poetica (1) recte judicandi copiam nobis præbet : hæc est enim doctrina disciplinaque his poetis accommoda, qui illa tempestate summis laudibus florebant.

Immo longum jam erat temporis spatium, ex quo gallicæ musæ omnia dedidicerant, quæ veram poesim alunt. Fabri « Rhetorice » non modo ad ipsam hanc ætatem spectat, qua emissa est, sed etiam ad extremam quinti decimi sæ-

(1) 1521.

culi partem referri debet. Satis est argumenti, quod ignotum quendam Artis poeticæ auctorem per omnia sequitur, qui regnantibus Ludovico undecimo et Carolo octavo vigebat. Hujus nomen, quamvis vel Jordanus (1) vel Joannes Caletensis (2) vocatus esse videatur, in incerto positum est : *Infortunati* cognomentum sibi ipse assumpsit. Operi, quod Infortunatus composuit, titulus est : *Jardin de plaisance et fleur de rhétorique* (3). Multis omnium poematum, quæ tum in usu posita erant, exemplis totum pæne volumen constat; quidquid ad poeticam artem pertinet quadraginta paginarum modum non egreditur. Hanc quidem partem, quanquam multo jam ante sextum decimum sæculum tempore Infortunati opus editum fuit, diligenter perpendere a proposito nostro non abhorrebat : — magnum enim operæ pretium est illud manifestius apparere, quibus scilicet vinculis inter se contineantur utriusque sæculi poetæ, vel qui ultimam quinti decimi sæculi partem, vel qui sexti decimi primos annos tenent : — sed illa ipsa cognatio tam arta est, ut in Infortunati Arte immorandi nobis immunitatem faciat. Hujus enim Faber præcepta adsciscit, versus pro exemplis affert, verba ipsa sæpissime usurpat. Amborum quidem operum non idem est ordo; at eadem prorsus materies ac disciplina ; nec quicquam apud Infortunatum reperimus, quod Faber ab eo non sit mutuatus. Intimam igitur utriusque doctrinæ congruentiam paucis his verbis notare satis habemus, ut sexti decimi sæculi initium ad proximi sæculi finem sine ulla controversia revocari et referri possit (4).

---

(1) Verardi editio, fol. 9.

(2) *Ibid.*, fol. 136 et 139.

(3) « Nouvellement imprimé à Paris. » Opusculo nec annus nec auctoris nomen vel cognomentum inscriptum est.

(4) Non abs re tamen erit Infortunati Artem poeticam breviter hoc saltem loco recognoscere. — Decem sunt capita :

I. — Definitur rhetorice.

II. — Recensentur antiqui Artium poeticarum auctores.

III. — Describitur totius opusculi ordo.

Faber, quem Infortunati heredem ac discipulum fuisse constat, carmina quædam et ipse composuerat, antequam Arti poeticæ manum admoveret : ex his supersunt *Ludovici regis Epitaphia* et *Tractatus de præsenti tempore* (1), in quo undecim dominæ inter se colloquentes ante oculos inducuntur, Neapolis scilicet, urbs Venetiæ, Florentia, Roma, urbs Mediolanum, Francia, Hispania, Anglia, Flandria, Austria, *actor* denique, id est poeta ipse. Hæc poemata, æqualium auribus et judicio accommodata, non perpendere in animo nobis est; scire tamen interest Fabrum, priusquam pangendorum versuum scientiam profiteretur, carmina et ipsum condidisse horum vatum disciplinæ congrua, qui summa gloria tum florebant. Ab iisdem poetis, quos in fingendis poematibus imitatus erat, præcepta exemplaque, in componenda Arte, mutuatur; eorum nomina maximis laudibus afficit, opera vero pro perfectis habet. Præcipui inter hos sunt Meschinotus, Cretinus Molinetusque, qui gallicæ poesis quasi principes tum judicantur. Meschinotum Petrarcæ æquales comparant; Molinetus pro altero Nasone accipitur; Cretinum autem

IV. — Quæ sint poesis vitia : 1° Inæquabilium inter se versuum compositio; 2° Parum apti *rhythmorum* soni. 3° Non propriæ locutiones. 4° Earundem vocum iteratio. 5° Verba vel ex latino sermone incautius assumpta, vel corrupta, vel nimis aspera. 6° *Æquivocationes* contortæ. 7° Pravus figuræ usus, quæ « Synalymphe » gallice vocatur.

V et VI. — De variis figuris. V. De syncopa, apocopa, synonymo. VI. De *æquivocatione* et dialogo.

VII. — De masculinis femininisque *rhythmis*.

VIII. — Consilia quædam vatibus de *rhythmorum* usu dantur, qui fugiendi, qui sequendi sint.

IX. — Enumerantur viginti *rhythmorum* species. 1° *Leoninus rhythmus*. 2° *Cruciatus rhythmus* vel super quartam, vel super quintam, vel super sextam lineam. 3° *Rondelli*, quorum sex figuræ adnumerantur. 4° *Retrogradarii rhythmi*. 5° et 6° Poemata quæ gallice « chapelet » (5) et « bergerette » (6) nomen accipiunt. 7° Forma psalmodie. 8° Epilogus vel gallice « fatras. » 9° *Balada : balada retrograda, balada* per dialogum. 10° Cantilena (chanson). 11° *Campi regales*. 12° Poema quod Galli « refrain volant » et « refrain branlant » vocant. 13° *Servantasium*. 14° Amatorium *Servantasium*. 15° et 16° Poemata gallice « lai » (15) et « virelai » (16) dicta. 17° *Rhythmus adnexus* (annexée). 18° *Rhythmus catenatus* (enchaînée). 19° *Rhythmus implicitus* (entrelacée). 20° *Rhythmus coronatus* (couronnée).

X. — De *moralitatibus*, comœdiis (pro « farces »), *mysteriis, cronicis, romanicis, historiis*.

(1) *Epitaphes du roy Louis. — Traicté touchant le temps de maintenant.*

Homero, Vergilio, Aligerio, non cedere summa omnium est opinio (1) : nullus unquam, ut aït Steph. Pascasius (2), poeta exstitit, quem sui æquales majore cultu et admiratione sint prosecuti; huic Joannes Major a Belgis tertium mox *Historiarum* librum, huic Marotus *Epigrammata* dedicabit. Tres illi poetæ, quorum vita satis magnam quinti decimi sæculi partem primosque sexti decimi annos complectitur, ad utramque ætatem pertinent, et a Carterii Castellanique ævo, quorum se alumnos esse profitentur, usque ad C. Marotum, quem pro suo discipulo ipsi habent, temporum perpetuam seriem connectere videntur.

Quæ nostræ poesis summa sub his magistris esset figura, paucis verbis explanari potest. Quod enim ad carminum materiam attinet, nihil prope extra allegoriam scribitur; ipsa autem condendorum versuum ars puerilis quidam spinosusque ludus facta est.

Ex quo editum fuerat poema cui « de Rosa » titulus inscriptus, cuncti poetæ ad ejus similitudinem certatim sese finxerant; allegoriam, quæ jam illinc usque ad posteriorem sexti decimi sæculi partem perpetua nostræ poesis tanquam silva permansit, adeo fovit scolastica disciplina a theologis et jurisconsultis instituta, ut omnia scribendi genera theatrumque ipsum mox invaserint fictæ illæ personæ, quarum exsangui formæ vitam infundere nequiquam vates conabantur. Ab his inanibus somniis gallicam musam Villo frustra devocavit : totius poesis materiam jam post illius mortem allegoria recuperat. Notissimum Meschinoti poema (3) Rationem quasi personam inducit in qua vertitur universi operis argumentum. Molinetus poema « de Rosa » inscriptum in prosam orationem transfert ac *Martis templum* componit; Andreas Vinea, horum poetarum discipulus et æmulus, cum Caroli octavi in Italiam expeditionem

(1) Cf. G. Tory, *Campi floridi* lib. I, fol. 4, verso.

(2) *Rech. de la France,* lib. VII, cap. XIII, fol. 660.

(3) *Les lunettes des Princes.*

celebrat, se et poetæ et historici officia exsecuturum esse credit, si rerum ipsarum narrationem procœmio decorat' quo christiana Fides, Nobilitas, Bonum consilium cum regia Majestate in aliquem hortum convenisse fingitur et bellum adversus Italos ac Turcas decrevisse. Item de omnibus ejus temporis vatibus; jam memoratum paulo superius fuit, quomodo Faber præcipuis Europæ civitatibus humanam personam vocemque induat : cunctos apud poetas, quorum nomina exemplaque ipse refert, idem animadverti potest mentis habitus, quæ veritatis immemor et incuriosa, totam excogitandi vim vana simulacra fingendo inaniter consumere solet.

De ipsa poesis farragine hactenus. Quantum ad pangendorum versuum artem, poetæ sunt potius præstigiatores circulatoria nescio qua sollertia præditi, quam vates sancto hoc nomine non indigni. Totam ii operam ad id conferunt, ut lectorem verborum *rhythmorum*que tanquam insidiis irretiant; omnemque veritatis colorem amittunt, omnem sententiam torquent et adulterant. Cuncta se puncta credunt tulisse, si versus ita disposuere, ut crucis, trianguli, furcæ, rostri formam legentium oculis præbeant; verborum argutias infelicesque cavillationes sectantur; subtilissimam quamque *rhythmorum* figuram affectant. Illius ætatis, quasi miraculum est ea octo versuum series a Meschinoto composita, quæ duobus et triginta modis, salvo sensu *rhythmo*que, versari potest. Cretinus, cujus, ut Pascasius aït (1), omne studium in ambiguis vocibus sonisque consistit, ad amicum, nomine Honoratum Jallium, epistolam scribit, quæ ex his versibus initium sumit :

Par ces vins verts Atropos a trop os
Des corps humains ruez envers en vers,
Dont un quidam, aspre aux pots, a propos,
A fort blasmé ses tours pervers par vers..., etc.

---

(1) *Rech. de la France*, lib. VII, cap. XIII, fol. 661.

Molinetus illa carmina in Sanctæ Annæ honorem componit, quæ vix intellegi possunt :

Ton nom est Anne et en latin Anna ;
Dieu tout-puissant qui justement t'aima
Veult qu'a l'amie tu soies comparee ;
Quatre quartiers une tres-juste anne a ;
Quatre lettres en ton nom amena, etc.

Cretino autem, amico suo, tales versus mittit, quibus suam ipse gloriam non modo jactat, sed etiam novo artis miraculo auget :

Molinet n'est sans bruyt, ne sans nom non :
Il a son son et, comme tu vois, voix ;
Son doulx plaid plaist mieulx que ne faict ton ton...
Car soubvent vent vient au Molinet net.

Ad infantiam poesim retrahi manifeste ex his exemplis patet : *rhythmus*, qui tantummodo versus finem olim notaverat, cui vero satis esse deberet aures modeste mulcere, immoderatus fragor jam factus est, qui legentem obtundit verborumque ipsam sententiam, si qua forte est, opprimit.

Fabri Ars poetica cum ista nostrorum vatum ambitiosa puerilique subtilitate penitus congruit. Nihil in ea, quod ad res ipsas et summam poesis materiem pertineat ; itaque non mirum est si nulla allegoriæ mentio fit : tam pervulgata erat ista omnium poematum farrago, ut nihil prorsus de illa tradere Fabro opus esset. Hoc modo sibi proponit Artis poeticæ auctor, ut versuum faciendorum leges doceat : nihil enim aliud jamdiu poeta est, nisi syllabarum sonorumque opifex. Illud imprimis apud Fabrum ad æqualis poesis vim ac naturam respondet, quod ipsis carminum regulis suum opus circumscribit, divinamque vatum artem ad sedulam harum observantiam redigit.

Totum volumen (1) in duas partes est distributum : priorem, quæ de oratoria arte disserit, a proposito nostro alienam, silentio prætermittemus; posterior vero, quæ Ars poetica inscripta est, perpendenda nobis atque diligenter excutienda. In hac tamen multi sunt loci, qui ad poesim ipsam non pertinent; illis enim temporibus Rhetorice et Grammatica cum poesi tam artis vinculis sunt conjunctæ, ut poeta oratoris nomen sæpius accipiat, grammatici vero partes plerumque occupet. Nihil igitur mirum, quod Faber, Infortunati exemplo, *tautologiæ, amphibologiæ, syncopæ, apocopæ, solœcismo, pleonasmo*, etc., magnam operis partem impendat. In iis autem, quæcumque ad poeticam artem vere spectant, versum definit, poematibus in æqualium vatum consuetudine positis leges assignat, varias denique *rhythmorum* sive species sive figuras docet.

Versum primo describit, et quid inter masculinum femininumque *rhythmum* intersit, paucis verbis explanat; tum cæsuræ leges tradit : omnis versus, quo planius elegantiusque pronuntiari possit, tanquam incisione quadam notandus est, in qua requiescat is qui legit, aliqua interposita sententiæ mora; quod quidem carminibus numerum addit (2). Hæc cæsura in cujuslibet verbi finem, poetæ arbitrio, incidit; sed in *regali campo* et in hoc carminis genere quod *servantasium* dicitur, quartam syllabam, quæ quidem masculina sit oportet, semper notet cæsura necessarium est. Illius autem versus, qui duodecim syllabis constat, nullam in aliam syllabam præter sextam cæsura incidit.

---

(1) *Grant et vray art de pleine rhétorique* compilé et composé par tres expert, scientifique et vray orateur Pierre Fabri, en son vivant curé de Méray (Rouen, 17 janvier 1521).

(2) « Toute ligne de plusieurs syllabes, pour la pronuncer plus entendiblement et plus élégamment, porter doibt de soy mesmes une incision ou couppe, a laquelle le lysant se peult et doibt licitement reposer comme point ou fin de sentence, et est ce qui fait la rithme plus armonieuse. »

Hic jam apparet ea versificandi lex, quam Bolæus his versibus mandabit :

> Que toujours dans les vers le sens coupant les mots
> Suspende l'hémistiche, en marque le repos.

Hæc est summa versus figura, qui, si Fabro creditur, certo quodam ac definito syllabarum numero, cæsura et *rhythmo* constat. Illud imprimis animadvertendum est, nihil de feminina cæsura Fabrum tradere. Opusculi quidem fine, figuram gallice « synalymphe » vocatam definiendo explicat, quæ tum efficitur, cum vocalis « e, » quam vel mutam vel femininam dicimus, vocabulum quoddam terminat, proximi autem vocabuli prima littera altera vocalis est; immo memorat hanc ab Infortunato traditam esse legem, ut feminina vocalis eo modo posita nullum, ne minimum quidem, sonum reddat. Sed ipse exempla affert in quibus non fit elisio :

> 1 2 3 4 5 6 7 8
> En ceste forme et maniere
> 1 2 3 4 5 6 7 8
> Bien mal congrue et pou chere, etc.

Nihil alioqui in hac figura quod ad femininam cæsuram vere pertineat; nondum enim poetæ cavere didicerant, ne mutæ vocali « e, » in extrema hemistichii syllaba positæ, consonans littera occureret.

Quod ad varias poematum species attinet, singula Faber describit carmina ab æqualibus poetis culta : quibus nomina gallice redduntur « lay, virelay, rondeau, chapellet, palinode, epilogue, refrain branlant, ballade, chant royal, servantois. » Eadem omnino sunt genera quæ ab Infortunato definita erant, quæ vero sola poetæ jamdiu noverant. Ex his poematibus, quæ in priore mediæ ætatis parte a nostris vatibus culta sunt, quædam jampridem exolevere : duodecim syllabarum versus, quem illi celebrandis fortium virorum præclare factis sæpius accommodaverunt, tanta

dudum oblivione oppressus est, ut eum Faber inter vilia antiquitatis veteramenta ponat (1). Nulla autem in toto opere mentio fit de illis poematibus quæ proximæ ætatis vates sive ab Italis sive a veteribus mox mutuabuntur. Cum vero de singulis generibus, in æqualium usu positis, nihil Artis poeticæ auctor doceat, quod non ad meram eorum structuram et quasi fabricationem pertinere videatur, in jejunis illis definitionibus morandum non existimamus. Ceterum, tempus jam proximum est, quo hæc omnia genera nostri poetæ repudiabunt. Itaque illud tantummodo animadvertemus, quibus scilicet angustis limitibus gallica poesis, qualem Faber effingit, circumscribatur : ut ea, pristinæ gloriæ immemor, grandissima vetustatis genera silentio oppressa jacere sinit, ita nihil novi circumspicere videtur, quod languentem poetarum venam reficiat. Inani circa voces sonosque studio senescit, vatumque ingenium certis ac præstitutis vel *rondelli* vel *baladæ* terminis includit.

Quæ cum ita sint, non certe admirationem illud habere potest, quod Faber maximam Artis poeticæ partem *rhythmis* impendit. De diversis ipsorum *rhythmorum* generibus primum quærit, deinde de variis *rhythmorum* inter se implicandorum rationibus.

Ii *rhythmi*, qui leonini dicuntur, omnium nobilissimi sunt, eodem prope pacto, quo cunctorum animalium nobilissimum habetur leo. Fit *ambiguus rhythmus* cum duo vel plures versus extremum verbum, seu duarum, seu plurium etiam syllabarum, commune inter se habent, quod quidem in diversos sensus admittitur (2). Alio modo efficitur ejusmodi *rhythmus*, cum extrema vox, quæ una tantum syllaba constat, duobus aut pluribus etiam versibus communis est, sed in diversum sensum accepta (3). Est aliud, humilius

(1) « Antique maniere de rithmer, » ut aït ipse Faber.

(2) *Livre* (verb.), *livre* (subst.).

(3) *Sens*, *sentz*.

quidem et parum elegans, *ambigui rhythmi* genus, cum plurium syllabarum vocabulo, quod versum terminat, duo vel plura vocabula in altero versu respondent, diversam in sententiam admissa, sed aut iisdem aut certe similibus litteris scripta (1). — Respuit Faber omnem licentiam activum passivumque verbum inter se sociandi; vel verbum cum eo substantivo jungendi, quod ex ipso deductum est; vel duo vocabula maritandi, quorum unum nulla alia re ab altero distat, nisi quod adjuncta est particula quædam, qua non mutatur quidem sensus, sed tantum aut confirmatur aut extenuatur (2). — In *leonini rhythmi* condicionem ea lege recipiuntur monosyllaba verba quæ versum finiunt, si proximæ syllabæ inter se recte congruant (3). Tum sequitur alius *leoninus rhythmus*, qui non pronuntiatione, sed litteris (4), vel qui pronuntiatione, non litteris (5), differt. Haud vero inter se convenire possunt vocabula quorum, etiamsi iisdem litteris scribantur, alterum *diæresim* patitur, alterum vero duos ambarum syllabarum sonos in diphthongum cogit (6). Inde succedit abjectior quidam *rhythmus*, cum ultima tantummodo syllaba duorum aut plurium versuum eadem est, sive tota, sive jam a vocali, sive extremo solum exitu (7). Accedit denique vilissimus omnium *rhythmus*, quem Faber gallice « rithme de boute-chouque » vel « rithme de gorêt » vocat : in versibus qui hoc *rhythmorum* genus recipiunt, idem semper syllabarum numerus est, sed vocum exitus minime inter se congruunt (8); talem olim *rhythmum* ut ipse Faber animadvertit, veteres in Gallia epicorum carminum scriptores

(1) *Excellence, excelle en ce, j'entens, gent temps.*

(2) *Belle, tres-belle.*

(3) *Meschans, mes chantz, mes champs.*

(4) *Justice, juste ysse.*

(5) *Poste, coste.*

(6) *Cordelier, cordes lier.*

(7) *Amy, remy, luy.*

(8) *Plastre, gaste, ouvrage.*

assumpserunt, quo tempore nostrorum majorum aures nondum tantæ religioni assueverant.

Quot et quibus modis *rhythmi* sese intersecent, jam hinc Faber docet. Hæc primum notatur ratio, qua primus versus tertio convenit, quarto secundus, quintus autem sonum mutat et septimo respondet, congruentibus inter se sexto et octavo (1). Inde apparet nondum eam legem acceptam esse, qua masculini femininique *rhythmi* certa ratione vices variant; primum enim hujus ordinis observantiam gallicæ poesi a Ronsardo impositam esse constat. Alio modo versus disponi possunt, non absimili quidem, nisi quod *leonini* inter se sunt quartus et quintus : hunc ordinem sequi solent ii cantus quorum nomen gallice *balada* est (2). Aliquando primus secundusque *rhythmus* quarto et quinto congruunt; tertius vero diversum reddit sonum ac sexto septimoque respondet (3). Sunt etiam series quædam duorum, trium, quattuor, quinque, vel etiam sex versuum in eundem sonum desinentium; hæ vero in multis carminum generibus usurpantur, in iis præcipue quæ gallice « lays » et « virelays » nomen accipiunt. Plerumque duo tantum similium vocum exitus intersecantur; sed ea poetæ a Fabro licentia datur, ut tot *rhythmos* inter se componat, quot ipsi libet, gratam modo ac jucundam sonorum concordiam servet. Permisso olim utetur Ronsardus, qui poesim nostram innumeris versuum inter se sociandorum rationibus ditabit.

Hos jam *rhythmorum* lusus, quibus æquales poetæ libentius indulgent, Faber enumerare cœpit. Affirmat ante omnia nobilissimos præstantissimosque *rhythmos* ex ambiguis vocabulis fieri (4). Inter quos *catenatum rhythmum*

---

(1) *Faict, première, faict, legiere, taille, largement, baille, entendement.*

(2) *Hommes, ment, sommes, tellement, entendement, affaire, accident, nécessaire.*

(3) *Humaine, peine, revestue, saine, incertaine, abatue, desvertue, tue, maine, venue, tenue.*

(4) « La plus noble et excellente rithme se faict de termes equivoques. »

primo definit, qui tum efficitur, cum alterius versus finem ambiguum verbum obtinet, proximus autem versus initium ab eadem voce in ambiguum sensum accepta ducit. Alius ejusdem generis, sed humilior, *rhythmus* usurpari potest, qui ex monosyllabis verbis in ambiguam sententiam admissis constat. Est figura quædam « anadiplosis » seu « gradatio » dicta, qua alterius versus finis pro insequentis initio adhibetur : id vero intellegitur inter hanc figuram et *catenatum rhythmum* discrimen, quod non ambigua vocabula inter se sunt (1), Alia figura « epanalepsis » vocatur, qua versus et initium et finem idem vocabulum tenet (2); quæ quidem in communi more, ut aït Faber, non versatur. Inde sequitur *implicitus rhythmus*, qui tum fit, cum ultimæ syllabæ vel monosyllabi vocabuli, quod versus finem obtinet, pars quædam repetitur, unde proximus versus initium capit : necesse autem est, ea, quæ repetuntur, in aliam sententiam initio accipi ac fine; sed non ambigue usurpari debet monosyllaba vox quæ versum terminat; *catenatum* enim in *rhythmum* sic recideretur (3). Fit *adnexus rhythmus* quotiens extremum versus vocabulum, vel hujus vocabuli seu prima seu postrema pars iteratur, syllabis quibusdam adjectis, quæ verbum et sententiam mutant (4); hoc vero dinosci debent *implicitus adnexusque rhythmus*, quod *adnexus* alias addit syllabas ut alterum vocabulum, sententia aliquando levissime versa, fingatur; *implicitus* vero extremæ vocis unam vel plures syllabas repetit, quibus proximum versum, ne una quidem adjuncta littera, incipiat. Fit *coronatus rhythmus* cum duo ultima versus vocabula ambigua sunt, vel cum pæne ultima syl-

(1) Saincte equitaire ung diable prist
En le prenant elle batist,
En le batant elle enchaina,
En l'enchainant ellentraina

(2) A l'assault, gallans a l'assault,
Armez-vous tost, saillez armez, etc.

(3) *Gracieulx-eux, ainsi-si, melencolieux-lieux, soucy-si, congnoistre-naistre.*

(4) *Annexee-annexant, vers-versifier, composee-composant, divers-diversement.*

laba, sive plures etiam syllabæ iterantur, et alteram vocem componunt, quæ non eandem sententiam extremo versu retinet, ac proximo vocabulo suberat (3). Est quidam vilior ejudem generis *rhythmus*, cum, post *coronatas* syllabas, una vel plures adduntur, quæ coronam quasi novis floribus decorent (4). Sequitur denique *retrogradus rhythmus;* is autem efficitur quotiens sententia minime mutatur, si is, qui legit, versus a fine legere incipit, et usque ad initium, inverso sic ordine, retrograditur (1).

Nihil magis nostræ poesis inanitatem arguit, quam quod totam pæne Artem poeticam his *rhythmorum* captionibus Faber impendat. Immo finit opus plurium figurarum descriptio, unde planius intellegitur, quas in nugas gallica Musa descenderet. Non jam de *rhythmis,* ne de vocibus quidem agitur, sed de ipsis litteris. *Paronomeon* efficitur cum omnia ejusdem versus vocabula similem initio litteram referunt : figuræ vero diversum ac peculiare nomen est, prout littera *l*, *m*, *r*, *s*, etc., has partes accipit. Hæc et talia non ad poetam attinent, sed potius ad operarium quendam, cujus omnis cura in oneroso sterilique labore consumitur.

Hoc est Artis poeticæ summarium, quæ æqualis poesis imaginem exprimit, qualem illis temporibus sese habebat, antequam Græcorum Latinorumque vatum imitationem aliud quoddam indicium apud Galliæ scriptores, quam alienarum vocum non satis verecunda mutuatio, denuntiare jam videatur. « *Rhythmorum* ibi, ut aït Pascasius (2), quantum voles; sensus vero magna penuria. » Exhausta jampridem est priscorum poetarum vena : summo in Parnasso, juxta sacros Musarum fontes, constituta est fabri-

(1) Guerre a faict maint chatelet let,
Et mainte bonne ville ville,
Et gaste maint jardinet net, etc.

(2) Les vers icy si sont cours couronnez
Et par ainsi par leur droit nom nommez, etc.

(3) A mesure ma dame ruse ma.

(4) *Rech. de la France,* lib. VII, cap. XII.

candorum versuum officina, ex qua arcetur quidquid liberi generosique veræ poesi inesse solet. Ars poetica in sordidum quoddam artificium descendit. Jam non florent ii veteris Galliæ vates quorum carmina priorem mediæ ætatis partem tanto decore illustraverant; nondum autem ortus est ille recentiorum poetarum proventus, qui Francicæ Musæ novum aliquem sucum et sanguinem infundent : æquales versificandi opifices, ad quorum exemplar operaque sese Faber refert, gallice « rimeurs » ipse vocat; quod nomen iis aptissime imponitur, qui nihil aliud, nisi nescio quas *rhythmorum* cavillationes curant. Recte proprieque inscriptum est Fabri opusculum : « Ars poetica, qua doceatur omnis *rhythmorum* descriptio »; hoc enim titulo exprimitur et continetur tota æqualis poesis virtus ac natura.

Ex his argutiis, in quas dudum erant detrusi, mox Galliæ vates sese expedire tentabunt. Nihil tamen apparet in Arte poetica, quam Gratianus Pontius nono et trigesimo sæculi anno edidit, unde novos jam spiritus haurire possit nostra poesis.

Idem Gratianus, quinque ante annis, poema quoddam composuerat, cui titulus est *Controversia masculini femininique sexus;* in hoc omnia colligit, quæcumque vel profani, vel sacri scriptores de femina scripserant. Ceterum, quamvis in animo habeat pravarum mulierum naturam arguere, illud præsertim, ut ipse aït, sibi proposuit, uti adulescentibus « rhetoricæ discendæ cupidis » omnigenarum *rhythmorum* exempla suppeditaret : itaque poema cunctis versuum ac poematum generibus refertum est, quæ apud Fabrum invenimus. Paucis post annis, *Artem poeticam* scribendo, exemplis, quæ in *Controversia* juventuti tradiderat, præcepta ipsa conjunxit.

Tolosæ natus erat Gratianus Pontius et totam ætatem in provincia sua contriverat (1) : unde facilius intellegitur,

---

(1) Goujet, *Bibl. franç.*, t. XI, p. 184 et seq.

quomodo ejus Ars, hoc tempore edita, quo jam poesis nostra ad veterum imitationem sese fingere incipit, Cretini tamen Molinetique magis quam recentiorum vatum disciplinam redolere videatur. Immo puerilibus Fabri ineptiis aliquid etiam spinosius adstruit. Eum scilicet reprehendit, quod *leoninum* proprie *rhythmum* tantopere colit, testaturque multos esse nobiliores difficilioresque versus, *ambiguos* videlicet, *coronatos, retrogrados,* quasi eo nobilior *rhythmus* esset, quo magis arduus (1). Alia *rhythmorum* genera definit commendatque, quæ Faber ipse omiserat : *concatenatorum*, *fraternorum*, *imperatoriorum*, *reciprocorum.* Fabrum per omnia sequi solet : hoc tantummodo inter ambos interest, quod Gratiani Ars poetica etiam argutior et, ut ita dicam, insidiosior videtur.

Sæpissime Ronsardo ejusque discipulis exprobratum est, quod, domesticam venam plus æquo dedignati, totos sese ad antiquitatis imitationem flexerunt. Non certe dubitari potest, quin nimium sollicita fuerit ista Græcorum Romanorumque observantia; nihil vero planius demonstrat, quantum opus poetis nostris esset novam aliquam quasi medullam a veteribus haurire, quam Gallicæ poesis imago nobis a Fabro Gratianoque tradita. Licet quidem infelicem sæpe Pleiadis audaciam reprehendere vel irridere; nihil tamen ea tentavisse jam videtur, quod non excusare posset priorum vatum sterile ac puerile artificium, si usque ad mediam sexti decimi sæculi partem in eodem statu poesis nostra permansisset.

Sed paulatim ea proficiet a Cretini ætate primis tenus Ronsardicæ scholæ inceptis. Jam inter Fabri Gratianique tempora profectus quidam deprehendi possunt. In hujus Arte aliqua nobis obversantur indicia, ex quibus proxima commutatio præsagitur. Ipse Gratianus nihil novi non res-

(1) « Il y a mainctz aultres termes et rithmes plus nobles, difficiles et supérieures à la dicte léonine, comme equivocques, coronees, retrogradees. »

puit, solitosque nostræ poesis mores tanta religione observat, ut vehementer indignetur quod poetæ multi sint, qui varias *ambiguorum rhythmorum* figuras fastidiant (1) : sed ex his ipsis querimoniis manifeste apparet ejusdem temporis vates a superioribus poeticæ magistris sensim desciscere ; et, quamvis crassos artifices (2) Gratianus hos vocet, non tamen prohibere potest, quin Galliæ poetæ omnes has compedes, quibus impliciti misere torpebant, excutere tandem conentur. In Sibileti Arte, quæ jam perpendenda nobis est, mira progressio notabitur ad illam nostræ poesis renovationem, a Ronsardo ejusque amicis medio sæculo susceptam.

(1) « Certains poëtes mesprisent lesdicts haulx styles et termes graves comme equivocques, coronez, etc., disantz estre chose fort contrainte. »

(2) « Grossiers composeurs. »

SECUNDA PARS

DE SIBILETI ARTE POETICA ET FONTANI LIBELLO, CUI « QUINTILIUS CENSOR » TITULUS EST INSCRIPTUS

Sibileti poeticæ longe alius color esse jam videtur. — Quinam poetæ opimioris demum segetis exspectationem moverint : clarissimi inter eos sunt J. Major a Belgis, Heroetus, Bochetus, Salellus, Scæva, Pontus Thiardus, Beza, Pascasius, Pelletarius. — Pro Ronsardi Pleiadisque proximis antecessoribus ii jure habendi sunt. — Sibileti Ars cum hac nostræ poesis ætate penitus congruit ; attamen Cl. Maroto libentius quam aliis se adjungit : hujus indoles et ingenium breviter exprimuntur. — Quæ de Sibileti vita acceperimus. — Artis poeticæ summarium. — De feminina cæsura. — De vocabulis ex latino sermone assumptis. De diversis versuum generibus. — De *rhythmis* inter se implicandis. — De subtilibus *rhythmorum* versuumque figuris, quas Marotus ipse usurpaverat. — De variis poematum generibus : major eorum pars, quæ Faber descripserat, jam exolescunt aut immutantur ; nova vero ex veterum imitatione oriri cœperunt. — Quatenus græcam latinamque antiquitatem Sibiletus norit. — His temporibus ejus Ars aptissima est, quibus domestica Musa nihil aliud quam primum signum et quasi nutum exspectat, ut liberius latiusque sapiendi ac scribendi curriculum sibi ipsa aperiat.

Hoc signum a Bellaio datur, cujus ex *Defensione et illustratione* nostræ poesis renovatio sumit initium. — Proximo anno libellum cui « Quintilius censor » titulus est inscriptus, Fontanus edit. — Breve opusculi compendium. — Fontanus pro ultimo pæne inter hos poetas adnumerandus, qui ad priorem sæculi partem respiciunt. — Nihil utcumque profecit ejus censura : mox enim Ronsardus ejusque amici exspectationem quam Bellaius moverat, certatim expleverunt.

Novem post annis, quam Gratianus opusculum in vulgus emiserat, Artem Sibiletus edidit, cui longe alius color et quasi sonus est. Gallicam poesim, qualem ex hac nobis animo fingere licet, multum ab ineunte sæculo profecisse manifeste patet. Græcorum Latinorumque imitatio novos jam fontes vatibus nostris recludit. Profecto non antiquitatis expers Faber fuerat ; immo veteres lectitare solebat, Ciceronem præsertim, quo familiarissime utebatur. Infortunatus etiam, si paulo altius res repetendæ sunt, Romanam linguam non ignorabat ; hujus tempore latinis vocibus gallicum sermonem refercire jam cœperat doctissimus quisque vir ; ipse vero, quamvis hæc verba reprehendat, quæ æquales poetæ a veteribus non satis verecunde sume-

bant (1), latinæ tamen antiquitatis amantissimus est atque observantissimus. At in extremis quinti decimi sæculi annis, nihil aliud quam dicendi supellectilem ex vetustate nostri scriptores quærunt : Sibileti contra ætate, non verba solum vates inde mutuantur, sed etiam nova genera petunt et novos tanquam spiritus haurire tentant.

Non tamen infitiandum est poetas quosdam vel a primis sæculi annis exstitisse, quorum opera, sive antiquitatis imitatione sive locupletiore vena commendata, aliquam opimioris segetis exspectationem moverunt. Celeberrimus inter eos, Joannes Major a Belgis, Fabri tempora cum Sibileti temporibus jungere dici potest; nam ipse Molineti (2) Cretinique (3) discipulus est, Maroti autem magister, a quo ipsi Homero comparatur :

. . . . Jean Lemaire, Belgeois,
Qui eut l'esprit d'Homère le Grégeois.

Non in hoc poeta insistendum nobis est : inter Fabri Sibiletique ætatem quasi medius, Joannes Major, quamvis ejus auctoritate hic sæpe se ipse tueatur, neque ad unam, neque ad alteram totus pertinet.

Illos igitur vates jam aggrediamur, qui Sibileti poeticæ vere referri possunt. Clarissimi inter eos, ne omnium nomina proferamus, sunt Heroetus, Bochetus, Salellus, Scæva, Beza, Pontus Thiardus, Pascasius, Pelletarius. Plerorumque vita ab primis quinti decimi sæculi annis usque ad Ronsardi tempora patet, nullusque fere ex iis est, qui in priore ætatis parte Molinetum Cretinumque non imitatus sit, in posteriore autem primis Pleiadis inceptis non aut faverit, aut etiam sese ipse adjunxerit.

---

(1) Cap. II.

(2) Se Molineti alumnum esse J. Major ipse profitetur : præcipuo poemati suo hunc titulum inscribit : *Temple d'honneur et de vertus composé par maistre J. Lemaire, disciple de Molinet.*

(3) In tertio *Illustrationum* libro, quidquid ipse facultatis habet, se Cretino debere testatur.

Multis ii vinculis pristinæ nostræ poesis disciplinæ constringuntur. *Rhythmorum* verborumque cavillationibus omnes indulserunt (1); allegoria vero in plerorumque operibus floret, velut hereditas quædam a superioribus poetis accepta (2). Sed tamen pro Ronsardi Pleiadisque proximis antecessoribus jure habendi sunt. « Scæva, Beza, Pelletarius, ut Pascasius ipse scribit (3), recentiorum vatum quasi « præcursores » exstiterunt... » « Jacobus Pelletarius Cenomanus poesim nostram novis coloribus induere cœpit, multumque profecit... (4). » « Primus qui novum aperuit curriculum fuit Mauritius Scæva; nam, quamvis priorum vatum in juventute vestigia secutus esset, eos progrediente ætate deseruit, ut aliam viam tentaret (5) ». Scævæ eidem hos versus Bellaius scripsit :

Gentil esprit, ornement de la France,
Qui, d'Apollon sainctement inspiré,
T'es le premier du peuple retiré
Loin du chemin tracé par ignorance.

Pontus Thiardus, qui inter Pleiadis poetas ipse adnumerari solet, etiam cum juvenis admodum esset, jam tentaverat quomodo poesim renovare posset. In operum præfatione : « Curavi, inquit, ut carminum meorum stilum locupletius

---

(1) Multis post annis quam Ronsardus ejusque amici poesim nostram restauraverant, Steph. Pascasius gloriatur quod Galli poetæ *Reciprocos* (Diomed. Grammat., lib. III), vel *Recurrentes* (Sid. Apollin. Epist. 9), versus tanta sollertia condiderunt, ut antiquitatem ipsam in hoc superaverint; et, quamvis ipse in istiusmodi ludis magis inesse curæ quam ingenii profiteatur, non tamen potest quin subtilium *rhythmorum* multa exempla in gallicæ poesis honorem proferat. *(Rech. de la France,* lib. VII, cap. XV, fol. 665-670.)

(2) In Bocheti poemate « *Temple de bonne renommée* » inscripto (1514), Religio, Devotio, militaris Disciplina, Artes, Scientiæ, etc., cum omnibus Olympi Diis inducuntur. Scæva Francisci delphini mortem per allegoriam in carmine cui *Arion* titulus est deplorat (1536). Salellus illum componit *Dialogum non minus utilem quam jucundum, in quo Jupiter Cupidoque de sua uterque potentia disputant* (1538); in altero *Dialogo* Mellinum Sangelasium et Victorem Brodaeum sub duorum navitarum specie inducit, ejusdem Francisci interitum defleturos.

(3) *Rech. de la Fr.*, lib. VII, cap. VII, fol. 616.

(4) *Ibid.*, fol. 615.

(5) *Ibid., ibid.*

ornarem, quam superiores ». Cuncti prorsus vates, quorum nomina supra retulimus, gallicæ poesis restaurationem et præsenserant et ipsi susceperant : itaque Ronsardus ejusque discipuli, quamvis priorem poesim dedignari soleant, hos tamen summa observantia maximisque laudibus semper prosecuti sunt.

Sibileti Ars poetica cum hac nostræ poesis ætate penitus congruit, qua omnes illi vates floruerunt. Attamen, quanquam Salelli, Scævæ, Heroeti ceterorumque et nomina et exempla sæpissime proferat, Clementem Marotum libentius quam alios sequitur, eumque pro duce et magistro potissimum habet. Multum interest hoc diligenter notari : Maroto enim, etiamsi cum ceteris ejusdem temporis vatibus multa ei sint communia, propria certe ac peculiaris indoles inest. Cum omni doctrina et eruditione poesim sermonemque nostrum hi referciant, ille contra domesticam gallicæ musæ venam persequitur, et, quamvis a Majore Scævaque ad carminum artem sit institutus, Rutebovii Villonisque vestigia nusquam repudiat. Græcarum certe præsertimque Latinarum litterarum elegantiam nitoremque redolet : præter Valerium Orosumque, quos sese legisse ipse testatur (1), Vergilium, Nasonem, Catullum, Martialem, Petronium noverat ; sed ad artes litterasque pessime, ut aït, a pueris erat institutus :

> . . . c'estoyent de grans bestes
> Que les regens du temps jadis.
> Jamais je n'entre en paradis
> S'ils ne m'ont perdu ma jeunesse (2).

Nunquam vero eruditionem plurimi facit : quidquid apud veteres ardui videtur, penitus fastidit, gallicamque linguam

---

(1) J'ay leu aussi le Romant de la Rose
Maistre en amour, et Valère, et Orose
Contans les faits des antiques Romains.

(2) *Epist.*, XLIII.

ac poeticam a rerum verborumque obscuritate molestiorisque doctrina ostentatione semper defendit.

Talem ad poetam Sibileti Ars tota respondet, quæ jam nobis excutienda est, ut poesis nostræ id temporis veram speciem effingere possimus. Pauca vero de ipso Sibileto prius memoranda.

Duodecimo sæculi anno natus erat. Quamvis in curia parisiensi causidicus esset, hujus muneris officia non eum prohibuerunt, quin litteris et poesi sese penitus dederet : latini et græci sermonis peritissimus, in exteras Europæ regiones multum peregrinatus est, ac plerasque linguas, quæ in iis usurpantur, didicit. Petrus Stella, cujus familiaris fuit, eum in commentariis virum probum eruditumque vocat : ambo in carcerem simul, bellorum civilium tempore, ab Henoticæ factionis ducibus conjecti sunt, Sibiletusque paulo post interiit, quam e custodia emissus est (1). Non plura de ejus vita accepimus. Quadragesimo octavo sæculi anno Artem poeticam ediderat, ea ipsa tempestate, qua Ronsardus cum amicis diurna nocturnaque manu veterum exemplaria, Aurato magistro, versabat et Pindari, Homeri, Maronis operibus tanquam incubabat.

Sibileti opus in duos libros divisum est. Alter de poesi generatim et universe scribit, de pangendorum versuum legibus, de diversis *rhythmorum* inter se connectendorum modis : in altero omnia carminum genera recensentur et explicantur.

Quod ad versus naturam definiendam attinet, eadem prope quæ Faber Sibiletus tradit; sed femininæ cæsuræ leges, quarum expertem esse Fabrum memoravimus, ipse diligenter docet (2), easque testatur, quamvis a Maroto olim, cum juvenis admodum esset, plerumque fuerint violatæ, ab optimo quoque vate jam summa cura servari.

---

(1) Anno 1589.

(2) Sext. cap., lib. I.

Paulo superius relatum est, quanto studio Scæva, Heroetus cunctique vates qui eandem disciplinam sequebantur, græcæ latinæque linguæ vocabula in nostrum sermonem inducere tentarent. In quarto capite, cui titulus de poetica elocutione est, æquales poetas Sibiletus admonet, ut in fingendis vocibus modeste cauteque versentur (Ipse Scævæ carmina tam obscura et ardua esse existimabat, ut sê ea ne intellegere quidem fateretur). Haud alia erat Maroti opinio, qui, quamvis latinæ poesis studiosus, nunquam tamen ab antiquis scriptoribus adeo devinctus fuit, ut ab iis sermonis ipsum tanquam instrumentum peteret. Immo Mellinus Sangelasius, ejus heres ac discipulus, nihil magis apud Ronsardum Pleiadisque vates respuit, quam quod ad veterum imitationem vernaculam linguam accommodant.

In quinto capite (1), novem versuum genera esse Sibiletus contendit : unius syllabæ versum non recipere vult, neque novem aut undecim syllabarum. Si ei creditur, octo pedum versus eodem modo Gallis est usurpandus, quo elegiaca carmina Græci Latinique usurpaverunt. Decem syllabarum versus, quo genere nullum aliud frequentius esse dicit, heroïcis veterum carminibus respondet; duodecim autem syllabarum versum non in solito poetarum more situm esse, ut Faber, testatur, quia gravior sit ac molestior; *sonetto* decem (2), *baladæ* vel decem vel octo syllabarum (3) versum assignat; illum vero ad majora, hunc ad leviora tantum et hilaria natum esse arbitratur. In erotica denique cantilena quam brevissimis versibus uti poetas jubet (4), quo facilius ad citharam canatur.

De *rhythmis* inter se *cruciandis*, easdem prope, quas Faber, describit Sibiletus figuras : quid ei sit in hoc pro-

---

(1) Lib. I.
(2) Lib. II, cap. II.
(3) *Ibid.*, cap. IV.
(4) *Ibid.*, cap. V.

prium, paulo inferius notabimus, cum diversa poesis genera, qualia in ejus Arte definiuntur, perpendenda nobis erunt. Quod vero ad *rhythmos* ipsos attinet, majorem veniam poetis concedit. *Rhythmum* gallice « rithme de goret » dictum profecto repudiat, quem inter *rhythmos* hujus saltem nominis vere dignos adnumerare abhorret ; sed simplex vocabulum eidem vocabulo maritari non vetat, cui particula quædam adjecta est (1) ; *diphthongi* simplicisque litteræ *rhythmum* pro legitimo habet (2) ; ea quidem licentia, ut ipse aït, pudenter uti debent poetæ, quia eo jucundiores sunt *rhythmi* quo litteris et sono inter se congruentiores ; sed multo satiùs esse recte judicat, si duas voces non rectissime socies, quam si locupletes *rhythmos*, omissa sententiæ cura, nimiæ religioni obsecutus, affectes. At, quamvis liberalior, quam Faber, esse videatur Sibiletus, *ambigui* tamen *rhythmi* ita amans est, ut eum omnium *rhythmorum* elegantissimum esse existimet et aures maxima dulcedine afficere (3). Immo Artis poeticæ fine omnia versuum genera docet, quæ Faber Gratianusque jam descripserant, *fraternorum*, scilicet, *adnexorum*, *catenatórum*, etc. Hos enim lusus, quibus solis, in primis sexti decimi sæculi temporibus, poesis nostra constiterat, quosque ab eruditissimo quoque proximæ ætatis vate non repudiatos esse supra memoratum est, Marotus, Sibileti dux atque exemplar, summo studio et ipse olim coluerat. Cretino *Epigrammata* his versibus dedicat :

> L'homme sot art et non sçavant,
> Comme un rotisseur qui lave oye,
> La faute d'autruy nonce avant
> Qu'il la cognoisse, qu'il la voye :

---

(1) Lib. I, cap. VII. *Mettre-permettre.*

(2) *Ibid.*, cap. VIII. *Baisse-dresse, autre-vostre.*

(3) « La plus élégante, comme celle qui faict cest unison et resemblance plus égale et de ce plus poignante l'ouïe ». (Lib. I, cap. VII.)

Mais voir de haut sçavoir la voye
Sçaurez par trop mieux m'excuser
D'aucune erreur si fait l'avoye
Qu'un amoureux de musc user.

Hanc epistulam Henrico secundo scribit :

En m'esbatant je fais rondeaux en rhythme,
Et en rythmant bien souvent je m'enrime, etc.

Cancellario autem Pratensi :

Puisqu'en ce donc tous aultres precellez,
Je vous suppli, tres noble Pré, scellez
Le mien acquist, etc.

Rondelli, quem Steph. Clavæo mittit :

Pour bien louer et pour estre loué, etc.

omnis materia in inficetis verborum cavillationibus versatur. Ludovicæ denique reginæ mortem cum deflet, hos versus fundit, qui Cretini Molinetique vere digni sunt :

Rien n'est ça bas qui cette mort ignore ;
Coignac s'en coigne en sa poitrine blesme,
Romôrantin la perte rememore,
Anjou fait joug, Angoulesme de mesme,
Amboise en boit une amertume extresme, etc.

Hæc tamen et ejusmodi carmina ad poetæ juventutem pertinent ; talibus argutiis paulatim sese expedivit, et domesticas gallicæ Camenæ virtutes, a Meschinoto ejusque æqualibus corruptas et adulteratas, cum politiore ac graviore antiquitatis arte conciliare conatus est.

Sibileto illas *rhythmorum* versuumque figuras, quibus Marotus ipse indulserat, non omittere licebat. Itaque Artis poeticæ pars quædam ad eas respicit ; sed illud inter Sibiletum Fabrumque interest, quod hic miseros æqualium

lusus, præter quos nullam poesim noverat, toto in opere describit ac commendat, ille vero quidquid de *rhythmis catenatis*, *adnexis*, etc., ipse attingit, ad finem operis in ultimum caput relegat; immo plerosque declarat, obsoletiores jam et rarissime in poetarum usu positos (1), non multum abesse quin penitus contemnantur.

Nihil vero in Sibileti Arte proximam poesis renovationem magis significat, quam quæcumque ad diversa poematum genera pertinent. Ex his enim apparet majorem eorum partem, quæ Faber descripserat, aut exolescere aut mutari, nova vero ex veterum imitatione oriri et jam in multo honore versari.

De *balada* tamen ac *campo regali* eadem prope ac Faber ipse tradit : sed ex sola *rondelli* definitione, cujus quattuor genera adnumerat (2), plane intellegitur æquales hujus temporis vates, qui, velut Marotus, ejusmodi poema nondum colere desierant, multiplicibus severiorum legum nodis expedire id velle. Ceterum hujus generis consuetudinem ab elegantissimo quoque vate desertam esse Artis poeticæ scriptor testatur (3). Item de carminibus gallice « lay » et « virelay » dictis, quæ, ut ipse aït, tam parvi nunc a celeberrimis poetis æstimantur, ut eorum vel mentionem facere supersedisset, nisi timuisset aliquid de majoribus detrahere, quos, cum ex prisca asperitate et barbaria in politiorem humanioremque cultum æquales vocaverint, summo honore ac veneratione affici justum est (4) Has enim omnes poematum species Heroetus, Scæva, Salellus et ceteri rarissime coluerant, Marotus vero in primis modo juventæ temporibus.

---

(1) « De vieille mode. » (Lib. II, cap. XV).

(2) Lib. II, cap. III.

(3) *Ibid., ibid.* « Les poètes les plus frians ont quitté les rondeaux à l'antiquité, etc. »

(4) Lib. II, cap. XII et XIII. « Pour le peu d'usage qu'ils ont aujourd'huy entre les poètes célèbres, je les eusse aisément laissez à te déclarer, si je n'eusse craint faire tort à l'antiquité, laquelle de ses rudesses et aspretez nous ayant faict entrer aux polisseures, doibt estre veneree de nous comme nostre mère et maistresse. »

Obsoletis pristinæ poesis generibus alia succedunt, in quibus Sibiletus, ut par est, diu multumque immoratur. Epigramma (1) primum describit, quod Marotus ad summum leporis ac venustatis jam perduxerat. Hoc genus tot versus tantummodo recipit, quot operis cujuslibet titulus admittat: itaque Latini poetæ pro optima epigrammatis figura *distichon* judicavere. Verum fit sæpius ut duo solum versus totam sententiam capere non possint; immo triginta vel etiam quadraginta versibus constant Maroti quædam epigrammata. Sed, quo plures sunt versus, eo minus concinnum epigramma: quam ob causam duodecim versus optimus quisque vates in hoc opere excedere non solet. Quamvis trium versuum numerus nescio quid abrupti in se, ut ipse confitetur, habeat, ejusmodi epigrammata Sibiletus, Italorum vatum auctoritate fretus, non respuit. *Rhythmorum* in hoc poematio diversos ordines docet: octo versuum figura, qua sæpissime usi erant prisci poetæ, æquales adolescentes summopere delectari dicit, cum sententiæ numerique perfectionem quandam ea afferat, legentium vel audientium auribus gratissimam; quattuor in hac primi versus intersecantur, tum etiam quattuor ultimi, eo autem pacto, ut quartus et quintus versus inter se congruant. Nullum tamen inter ejusdem ætatis poetas epigrammatis genus pluris æstimatur, quam decem versuum. Vatibus id præcipit Sibiletus, ut duo ultimi versus quam acutissime carmen concludant; nam in his, ut recte aït, vertitur omnis poematii laus.

Secundum posterioris libri caput ad *sonettum* attinet, quod Mellinus Sangelasius, Maroti discipulus, ab Italis mutuatus erat. Hoc Sibiletus primo definit. *Sonetti* epigrammatisque, ut opinatur, materia eadem est, nisi quod jocos et lusus sonetti gravitas excludit. Nullum alium versum quam decem syllabarum in *sonetto* Artis poeticæ

(1) Lib. II, cap. I.

scriptor admittere vult; multopere hoc poematio juvari æquales vates declarat, quod, quamvis in Galliam nuperrime importatum sit, summa tamen laude propter venustatem floret.

Oda ipsa (1), etiamsi aliud nomen ei esset, multo jam in honore versari cœperat. Hoc *odæ* vocabulum primus Sibiletus in poetarum consuetudinem induxit: sed quadragesimo septimo sæculi anno Pelletarius jam ejusdem generis poemata ediderat: ipse Sibiletus Mellini cantilenam aliquam profert, quam pro lyrici carminis exemplare habet. Nihil de pindarico genere memorat, quod nullus adhuc vates coluerat; in leviore vero oda, quam solam novit, brevissimis versibus, lyræ sono facile congruentibus, tristes lætosve amoris affectus exprimi testatur.

De Epistula et Elegia septimum ejusdem libri caput disputat: multis jam ante annis poetæ quidam elegiaca coluerant; inter eos Caroli Fontani nomen proferre satis habemus, qui Catarinæ sororis interitum, ante quadragesimum sæculi annum mortuæ, versibus gravis ac sinceri luctus plenissimis defleverat. Marotus vero non modo in Epistula, cujus magister ac princeps sine controversia habetur, sed etiam in elegis poeticam artem ad summum provexisse existimatur. Inter utrumque genus minimum interesse Sibiletus ducit. Epistula, ut opinatur, omnia, quæcumque litterarum commercio mandari possunt, sui juris habet; elegi tantam varietatem ferre non videntur: tristes sunt ac flebiles, amatoriosque affectus præsertim exprimunt; quos quidem epistula non repudiat, sed propriam sibi *subscriptionem* ac *superscriptionem* retinet, magisque familiari dicendi more utitur.

In octavo capite de bucolicis quærit Sibiletus. Hanc eclogæ formam novit, quæ perpetuum orationis tenorem servat; immo ejusmodi opus hac lege probat, ut multæ

(1) Lib. II, cap. VI.

prosopopœiæ ipsam carminis perpetuitatem distinguant. Sed illa tempestate personas in eclogis vates plerumque inducebant : itaque communis dialogi nomine bucolica omniaque dramatica genera, quæ tum nota erant, Sibiletus complectitur. Jamdudum erat, ex quo pastorale carmen poetæ nostri colere cœperant : M. Scæva Salellusque, ut jam antea memoratum est, ejusmodi poemata, ne res altius repetamus, non semel condiderant ; Marotus autem in his plurimas sibi laudes conciliaverat. Omnes illi poetæ, et ceteri, qui idem genus tractarunt, bucolica nunquam ab allegoria separant : Maroti eclogis, quæ pro hujus poematis exemplaribus judicari possunt, penitus convenit Sibileti definitio ; nihil enim aliud est, si huic creditur, hoc poesis genus, quam alternum inter duos pastores carmen, qui, per quædam involucra, de regum morte, de temporum casibus, de reipublicæ mutatione inter se colloquuntur (1).

Duo alia genera, a Maroto quoque culta, Sibiletus describit : poema gallice « blason » dictum, quod perpetua laude vel continua vituperatione constat (2), et veterem illam satiram (3), quam prisci Galliæ poetæ « fratrasie » vocabant. Hujus generis farraginem in omnibus uniuscujusque vitiis versari docet ; quo autem absurdiorem esse male inter se cohærentium sermonum quasi contextum, eo elegantius fieri poema. Ejusmodi opus Marotus, ut relatum est, tractaverat ; sed novam ei vim novo cum nomine (4) incusserat : hac enim sententiarum destinata obscuritate tectus, inimicos impune lacessendi copiam sibi ipse fecerat.

Hæc sunt genera, quæ, a Fabro ignota, Sibiletus definit et commendat, si iis epicum carmen adicimus, de quo paucissima tradit : hujus enim naturam adeo prave intellegit,

---

(1) « Dialogue entre bergers, traitans sous propos et termes pastoraux, morts de Princes, calamités de temps, mutation de république et telles choses sous allégorie claire. »

(2) Lib. II, cap. X.

(3) *Ibid.*, cap. IX.

(4) Coq-à-l'asne.

ut poema *de Rosa* inscriptum ab *Iliade* et *Æneide* non secernat.

In quartodecimo posterioris libri capite de translatione sive conversione disserit, quam pro peculiari quodam genere ipse et ejus æquales ducunt. Multi jam sunt anni, ex quibus poetæ nostri, desertis nondum domesticis moribus et exemplis, aliquid tamen majus et gravius in antiquis litterarum monumentis inesse suspicati, Latinos Græcosque scriptores in suam linguam certatim transferunt. Heroetus Platonis *Androgynum* gallice verterat et Ovidii *Artem amatoriam;* Salellus Euripidis *Helenam* (1) et *Iliadis* duodecim primos libros; Pelletarius Flacci *Artem poeticam,* Vergilii, Martialis, Homeri, Petrarcæ quædam opera; Octavianus Sangelasius *Odysseam, Æneida ;* Forcadellus Maronis, Nasonis multas partes. Marotus denique primam Vergilii eclogam transtulerat et Catulli nuptiale carmen erat imitatus. Antiquitatis cultus et imitatio tam vehementer illa tempestate vigebant, ut nihil mirum sit, quod veterum exemplarium conversioni tantum Artis poeticæ scriptor conferat. « Conversio, inquit, est frequentissimum poema, et poetis doctisque lectoribus ideo gratissimum, quia magnum esse opus omnes arbitrantur, si quæcumque antiqui vates invenerunt sermonis nostri quasi colore induantur » (2). Ipse autem Euripidis *Iphigeniam* verterat.

Non longum quidem temporis spatium inter Fabrum Sibiletumque interpositum est : multum tamen commutatam esse nostræ poesis rationem non negari potest. Prisca genera paulatim obscurantur; nova florere cœperunt, quæ mox omnes poetæ, Ronsardo duce, certatim colent. Nobiliores sensus spiritusque domestica musa sumpsit. Poesis

---

(1) Goujet. *Bibl. fr.*, XII, p. 4.

(2) « La version ou traduction est aujourd'huy le poème le plus fréquent et mieux receu des estimes poètes et des doctes lecteurs, à cause que chacun d'eux estime grand œuvre rendre la pure et argentine invention des poetes dorée et enrichie de nostre langue. » (Lib. II, cap. XIV.)

a Sibileto pro sollerti quodam artificio lusuque, velut a Fabro, non jam putatur : ei communem cum virtute ipsa originem assignat; utraque, ut aït, a profundo illo cælestique abysso orta, quæ Dei ipsius sedes est (1). Pro vocabulo « rimeur », quod superiorum temporum artificibus plane quadrabat, poetæ nobile generosumque nomen sufficitur. *Rhythmorum* tantummodo varios modos Faber edocuit; Sibileti vero Ars poetica a veris vatibus non abhorret. Domesticam hic poesim, quæ, inanibus præstigiis corrupta, omnem priscarum ætatum dignitatem amiserat, Græcorum Romanorumque imitatione fretus, ad salubriorem cultum revocare velit. Memorat (2) eclogam a Græcis inventam esse, a Latinis usurpatam, a Gallis assumptam; dramaticum poema vulgo « moralité » dictum veteri tragœdiæ ideo simile non absurde judicat, quod graves præcipuasque res scænæ committit; itaque, si tristem semper exitum illud haberet, nihil prope inter utrumque genus interesset. Nostram vero comœdiam, gallice « farce » vocatam, a latina comœdia penitus distare non ignorat, Romanisque mimis haud dissimillimam hanc esse recte ducit (3). Traditis brevibus de epico carmine consiliis, quod *magni operis* appellatione designat, hortatur poetam ut Homeri Maronisque vestigia sequatur et ad eorum exemplar sese flectat (4). Veterum enim reverentia adeo jam vigebat, ut ab iis non modo varia poesis genera, sed etiam versuum ipsam rationem mutuari quidam tentarent : quam quidem audaciam recte Sibiletus vituperat (5) idque carminum genus tam absurdum apud nos esse judicat, quam si Græci Latinique vates carmina, nulla prosodiæ ratione habita, componere voluissent. Quotiens vero antiquitatis imitatio cum Gallicæ

(1) Lib. I, cap. I.
(2) Lib. II, cap. VIII.
(3) V. Egger. *L'Hellénisme en France*, leçon 14e.
(4) « Faut recourir au Roman de la Rose, si tu n'aimes mieux te former au miroir d'Homère et de Virgile, comme je serois bien d'avis. »
(5) Lib. II, cap. XV.

linguæ poesisque disciplina conciliari potest, eam vehementissime commendat ac præcipit. Nono in capite vatem allocutus : « Velim, inquit, te Græci Latinique sermonis intima notione penitus esse imbutum; eæ enim sunt officinæ, ex quibus optima scribendi tanquam instrumenta ducimus » (1).

Proximam quidem ætatem non occupat Sibiletus, nec Ronsardi Pleiadisque proposita consiliaque jam tum præsumit ; pangendorum enim versuum artem potius demonstrat, quam ex intima poesis ratione et quasi visceribus præcepta ea, quæ tradit, hauriat ; quanquam Græcæ Romanæque vetustatis non est ignarus, multum tamen abest quin eam percalleat ; minus dramatica veterum genera novit, quam ut aliud quicquam possit, nisi longinquam incertamque inter hæc et gallicas fabulas cognationem deprehendere ; de epico genere nihil scribit, quod non vagum sit ; Aristotelis poeticam ignorat ; Flacci vero, quem tamen bene noverat (2), ne minima quidem mentio apud eum invenitur. His temporibus Sibileti opus aptum est, quibus domestica Musa nihil aliud quam primum signum exspectat, ut latiorem sibi campum ipsa aperiat. Jam a Fabri ætate multum profecit ; nunc vero majora etiam conari ardet, nobilioremque audaciam sumit. Hos Francicæ poesis profectus recentiorum vatum grex, qui superiorum hereditatem tanto contemptu abdicaverunt, nimis obliviscetur. Sibiletus, ut constat, societatem cum his postea fecit ; nihil vero in hoc mirabile ; gallicas enim litteras poetæ, quos pro magistris habet, jam tum restaurare cœperant, idque curriculum patefacere, in quo Ronsardi ingenium liberius mox exsultabit.

Uno post anno, quam Artem Sibiletus emiserat, *Defensionem et illustrationem Francicæ linguæ* Bellaius edidit,

---

(1) « Je désire en toy parfaicte cognoissance des langues grecque et latine, car elles sont les deux forges d'où nous tirons les pièces meilleures de nostre harnois. »

(2) Cf. Goujet. *Bibl. fr.*, III, cap. III.

in qua nova quædam poesis forma ratioque expresse describitur. Ab hoc opusculo sumit initium illa litterarum restauratio, cujus tot indicia jam apud Sibiletum apparebant. Magis quidem notus est libellus, quam ut illum excutere necesse videatur; ceterum nihil in eo, quod apud posteriores Artium poeticarum scriptores, de quibus infra dissereturs, non reperiamus. Sed pauca dicenda sunt de Fontano illo, qui opusculum quoddam, Quintilii censoris nomine, adversus Bellaii vix editam *Defensionem* composuit.

Fontanus eandem, quam Sibiletus, disciplinam sequitur. In libelli editione, quæ septuagesimo sexto sæculi anno emissa fuit, Quintilii censuræ adjunxit ipse Artis poeticæ compendium quoddam, ubi posteriorem Sibileti librum in breve cogere satis habet. Maroti discipulus est, qui ejus patrocinium in dubiis rebus plurimi fecit (1). De Fontani vita quæ accepta sunt repetere non multum interest (2). Opusculum, de quo solo hic agitur, proximo anno composuit, postquam *Defensionem* Bellaius ediderat.

Nulli ordini adstrictus, Bellaii vestigiis insistit, et, quæcumque mendosa ipsi videntur, prout occurrunt, notat. Quidquid autem reprehendit, tum ad linguam pertinet, tum ad nova poesis genera, quæ ex antiquitate arcessi *Defensionis* auctor jusserat.

Vocabula quædam non recipere vult Fontanus, quæ, a Bellaio in nostram consuetudinem illata, vel exciderunt (3), vel etiamnum in communi more versantur (4); multas translationes carpit, quas duras odiosasque esse putat (5); ad minutula tam curiose mentem advertit, ut *orthographiam* ipsam reprehendat (6). Jam vero hæc subtiliter per-

(1) Goujet. *Bibl. fr.*, VI, p. 112.

(2) *Ibid.*, XI.

(3) *Hiulque, le manque flanc, buccinateur, aliene, molestie, oblivieux.*

(4) *Liquide, rasserener, sinueux, patrie,* etc. (p. 98, éd. de 1555).

(5) *De sourcil stoïque*, etc. (p. 86).

(6) *Deffence,* etc.

sequi desinamus. Queritur imprimis Quintilius censor, quod hanc illustrandæ linguæ viam Bellaius ostendit, si Græca, Latina Italicaque verba Franciæ vates adhibeant : haud enim, ut ipse aït, defenditur hoc pacto lingua vel illustratur, sed offenditur et elevatur (1). Non immeritum id crimen : vocabula tamen, quæ Bellaius ejusque amici ex antiquis fontibus detorsere, non ita multa sunt, ut accusari jure possint, quod domesticum sermonem vitiaverint. Sed fatendum est non absurde Fontanum indignari, quod poeticam linguæ consuetudinem a vulgo alienare (2) Bellaius velit, ut doctis modo eruditisque auribus accommodetur.

Quantum ad nova poesis genera attinet, Bellaium censor incusat quod mores a majoribus traditos repudiet, priorumque vatum opera dedignetur. « Tu accuses à grand tort et tres ingratement l'ignorance de nos majeurs, lesquels n'ont esté ne simples n'ignorans ny des choses, ny des parolles. Guill. de Lauris, Jean de Meung, Guill. Alexis, le bon moine de L'Yre, Messire Nicolas Oreme, Alain Chartier, Villon, Meschinot et plusieurs autres n'ont pas moins bien escrit en la langue de leur temps que nous a present en la nostre » (3). Queritur deinde quod epistularum genus Bellaius fastidit (4); elegos contra, quos hic commendaverat, ob hanc causam excludi vult, quod nulla vis in iis sit, nisi ut legentes mæstitia afficiant (5) ; oda vero nullum opus esse contendit, cujus vicem apud majores nostros rectissime cantilena impleverit (6) ; *sonetta* denique nullius pretii esse affirmat, quod faciliora sunt et in mediocrium poetarum artem cadunt (7).

---

(1) « Est-ce la deffense et illustration ou plus tost offense et denigration ? » (p. 88).

(2) « Estranger la poésie. »

(3) P. 87.

(4) P. 102.

(5) P. 103.

(6) P. 100.

(7) P. 104. « Vela une brave poesie pour en mespriser toutes les autres excellentes françoises. »

Quamvis enim in novos vates ideo invehatur, quia a communi hominum consuetudinem poesim avocant, nihil Fontanus mirari solet, quod non arduum spinosumque videatur. Nullam ob aliam causam priores vates æstimat, nisi quod in subtili multiplicique arte versati sunt; eo pulchriora poesis genera judicat, quo difficilioris molestiorisque operæ. « D'autant sont plus beaux que de difficile facture » (1). « Excellence de vers et ligatures, nombreuse multiplication de cadences unisonantes et argute rentree, refrains et reprinses avec la majeste de la chose traictee, tesmoignent la magnificence et richesse de nostre langue et la noblesse et félicité des esprits françois » (2). Eandem ob causam Bellaium reprehendit quod *ambiguos rhythmos* fastidiose respuat. « Tu rejettes la plus exquise sorte de ryme que nous ayons... et en cecy tu blasmes taisiblement Meschinot, Molinet, Crétin et Marot » (3). Immo recentiores poetas non semel accusat, quod priora poesis genera propter difficultatem abominentur : « La difficulté des equivocques les te faict rejeter » (4).

Fontanus pro ultimo pæne inter hos poetas haberi potest, qui ad priorem sæculi partem respiciunt, nihilque audacius institui jam velint : itaque aliquam de illo mentionem faciendam putavimus, quamvis nullam proprie Artem poeticam scripserit. Nihil utcumque profecit acerba ejus censura; mox enim Ronsardus ejusque amici exspectationem, quam Bellaii *Defensio* moverat, certatim expleverunt; tum vero tantis ipsi laudibus floruere, ut superiores cuncti poetæ vel summa in perpetuum oblivione ac fastidio, ut ipse Fontanus, opprimerentur, vel ad eos, ut Sibiletus, de quo supra dictum est, et Pelletarius, de quo jam dicetur, sese serius ocius adjungerent.

---

(1) P. 99.
(2) P. 99.
(3) P. 109.
(4) *Ibid.* Cf., p. 99 et 103.

TERTIA PARS

DE PELLETARII, RONSARDI, LAUDUNII ARTIBUS POETICIS

Quamvis Pelletarii vita in duas partes distribui possit, quarum una ad Maroti, altera ad Ronsardi tempora referatur, huic tamen multo potius Artis poeticæ scriptor se applicat. — Opusculi summarium : de poetico sermone, omnia nova, quæ recentiores poetæ in nostram linguam induxerant, summa diligentia Pelletarius tuetur ac commendat. — De poesis ornatibus. — De diversorum versuum usu. — De carminibus Latinorum ritu conditis. — De variis poesis generibus : priorum vatum poemata funditus respuuntur. — Pelletarius Pleiadis spes, voluntates, consilia exprimit, sed antequam finem iis imposuerint recentiores poetæ. Ronsardus nullam poeticam condidit, hoc saltem nomine non indignam. — Laudunii Ars poetica, cujus breve compendium proponitur, tanquam biformis est ; ut enim prior pars ad priscos Galliæ poetas ac genera pertinet, ita posterior Ronsardi Pleiadisque disciplinam sequitur. — Singularum Artium, de quibus supra dissertum est, summa vis atque indoles breviter recognoscitur.

Pelletarius, ut jam anteà memoravimus, unus ex illis poetis est, qui ante Ronsardum, reparandæ renovandæque poesi nostræ operam dederant. Idem Bellaio suasit, ut *sonettorum* genus coleret ; idem primas Ronsardi odas in vulgus emittendas curavit ; immo francicæ odæ princeps auctor fuisse a Colleteto (1) dicitur. Jurisconsultus, medicus, philosophus, mathematicus, omnibus scientiarum partibus æquabilis, « docti » cognomen inter cunctos ejusdem ætatis poetas acceperat. Ejus vitam, quæ in multa casuum varietate jactata est, hoc loco narrare supervacaneum videtur (2). Illud tantum meminisse refert, Pelletarium in priore ætatis parte carmina composuisse superiorum vatum disciplinæ et exemplis accommodata, sed, postquam Ronsardus ejusque amici poesis illustrandæ signum dedissent, in recentiorum poetarum gregem, ut paulo superius dictum est, mature concessisse. Quinquagesimo quinto sæculi

(1) *Hist. des poètes français.*

(2) V. Goujet. *Bibl. franç.*, XII. — Hauréau. *Hist. littéraire du Maine.* Paris, Dumoulin, 1879, t. IX.

anno Artem poeticam edidit, septem jam annis postquam *Defensionem et illustrationem francicæ linguæ* Bellaius emiserat. Itaque, quamvis ejus vita in duas partes distribui possit, quarum una ad Maroti, altera ad Ronsardi tempora referatur, huic tamen multo artioribus vinculis Artis poeticæ auctor sese applicat.

Totum opus in duos libros divisum. In priore, poesis et vetustatem et excellentiam Pelletarius, ut Sibiletus antea, magnifice prædicat; tum vero de natura et arte disserit, poetam cum oratore confert, de imitatione et conversione præcepta tradit, gallis vatibus præscribit ut domesticum sermonem non dedignentur. Haud spectat ad nostrum propositum hæc prioris libri capita persequi; vix enim ad quamlibet poeticam pertinet, utra plus valeat, naturane sine arte, an ars sine natura, verbosius disputare, vel quid inter oratorem vatemque intersit, quæ vero inter poesim dicendique facultatem naturalis cognatio deprehendatur, longa operosaque disceptatione anquirere. Ceterum nihil in his communibus locis invenire potest, quod ipsi Pelletario vere sit proprium.

Gallicam dehinc linguam Artis poeticæ scriptor explorat, multumque ac diu in hac quæstione immoratur; ex quo enim recentior vatum proventus ad ditandum sermonem animum adverterat, nulla scribi poterat Ars, quæ non omnes patriæ linguæ opes diligenter investigaret, doceretque quot et quibus modis augendæ et amplificandæ essent. In iis omnibus, quæ ad sermonem attinent, ne Valkelinus quidem, cujus poeticam mox perpendemus, Ronsardi præcepta consiliaque majore studio quam Pelletarius exsequitur. Ad hoc omne ingenium contulerat Pleiadis princeps, ut poeticum quendam sermonem fingeret, a prosa oratione diversum : cunctæ vero rationes modique, quibus hoc propositum assequi hic tentaverat, docet ipse Pelletarius et maxima diligentia præcipit. Vocabula e Græca Latinaque consuetudine assumpta, quibus modeste

semper usum esse Ronsardum constat, poetis ornandæ linguæ cupidis primum commendat : « Quæ, ut aït, in honore erunt, si, parce detorta, a domestico usu non abhorrent. » « Equidem, addit, verba ponere non dubitabo qualia sunt *regnicoles*, imo etiam *repulse*, quamvis in communi nostra consuetudine vocabulum *repousse* jampridem versetur; unum vero ad poeticum, alterum ad oratorium scribendi usum pertinebit. » Inde apparet hanc Ronsardi rationem sibi Pelletarium adscivisse, qua nobilior, gravior ac magis a vulgari consuetudine remotus poetarum quam oratorum sermo fingeretur. Voces ex pluribus vocabulis compositas probat, quas ad Homeri exemplar Pleiadis vates creaverant, ut majus epithetis pondus adjicerent. Testatur adjectiva nomina substantivorum more jam a poetis recte usurpari (1), vel adverbiorum partibus officioque indui (2). Flacci auctoritate nisus, prisca verba, quæ situs informis desertaque vetustas premunt, in communem loquendi usum revocare jubet poetas, inter quæ unum refert, quod nunc etiam Gallicus sermo usurpat (3). Item de vocibus, quæ variis olim Galliæ dialectis propriæ, jampridem ex legitimo dicendi more exciderant : « Immo, inquit, ne Provincialia quidem aut Vasconica verba reicienda sunt, quæ præsenti nota signabimus; omnia enim vere gallica sunt vocabula, quæ quidem intra regni fines adhibentur » (4). Francicæ linguæ usum, quod ad verborum struendorum rationem spectat, Ronsardus ad Latini sermonis similitudinem revocare tentaverat, quam a quinto decimo sæculo magis atque magis deseruerant nostri scriptores : Pelletarius et ipse queritur quod nulla vocum collocationi libertas relicta est; « huic vitio, inquit, ille qui mederi conaretur, optime de domesticis litteris promereret ». Omnia denique nova,

---

(1) « Le verd » pro « la verdure », etc.
(2) « Il marche magnifique ».
(3) « Héberger ».
(4) « Tout est françois, puisqu'ils sont du païs du roi ».

quæ recentiores poetæ in nostram linguam induxerant, summa diligentia tuetur, adeoque veterum imitationi favet, ut ne comparativa quidem superlativaque nomina admittere dubitet, quæ vates quidam ex Latina consuetudine in nostram incautius arcessiverant.

De poesis ornatu jam hinc disserit : recta primum de metaphora præcepta tradit, in qua inhonesta vocabula (1) cavere debent poetæ, nec verba unquam altius exquisitiusque transferre (2). Tum de personarum decore ac dignitate disputat, variarumque in humana vita ætatum mores ac studia secundum Aristotelem Horatiumque exprimit. Quod ad vocum sonum attinet, poeticam imitationem prave intellegit, et, Maronis versibus quibusdam fretus, in quibus levitatem aliquam dactyli, spondei vero tarditatem significant, gloriatur ipse quod, cum lusciniam pingeret, aviculæ cantum versibus effinxerit, et, cum procellam describeret, fulminis fragorem, Salmonæus alter, sit imitatus. Nequiquam Græcorum auctoritate se tueri conatur, quos his et talibus figuris *hypotyposin* nomen dedisse memorat : nihil apud eos invenimus, quod has ineptias vendibiles facere possit.

Ejusdem libri fine de quibusdam poesis vitiis agitur : id imprimis Artis scriptor ægre fert, quod poetæ, ad certam *rhythmorum* necessitatem alligati, artioribus vinculis impediantur ; ex eo tamen solacium ipse capit, quod, in singulis versibus morari et insistere coacti, nullum vel eloquendi vel intellegendi vitium non circumspiciant et caveant.

De Francica singulariter poesi liber posterior quærit. Si ad varia versuum genera spectamus, illud præsertim inter Pelletarium Sibiletumque discrimen notari potest, quod ille, veteris distichi memor, duodecim decemque syllabarum versus impariter junctos elegiæ assignat, duodecim

(1) « La république avoit esté châtrée par la mort de Scipion ».
(2) « Les fenestres de l'entendement ».

autem syllabarum continuos versus, heroïcis poematibus a Ronsardo prius destinatos quam Franci arma ipse celebraret, epicis rebus maxime idoneos esse judicat; nam, ut aït, decem syllabarum metro brevior cursus est.

Quod ad *rhythmum* attinet, quem poetæ quidam (1) non necessarium esse contendebant, non modo eum non aboleri velit, sed etiam, cum nullum sit inter prosam orationem ac poesim manifestius discrimen, vatibus suadet, ut locupletissimos *rhythmos* exquirant; haud absurde enim scribit minus, sublatis *rhythmis*, inter utrumque genus interesse, quam ut hanc sibi licentiam poetæ vindicare liceat. Carmina Latinorum ritu condita non funditus respuit, sed scrupulosam rem esse ac spinosam arbitratur; « nam, inquit, brevem longamve syllabarum vim observaremus oportebat, et breves vocales hoc consonantium litterarum concursu expediremus, quibus sæpissime gravantur » (2). Nihil de masculinorum femininorumque *rhythmorum* vicibus tradit; sed Artis poeticæ fine poemata quædam opusculo adjungit, in quibus hæc lex, nunquam antea ab ipso servata, summo studio custoditur.

Maximam totius voluminis partem ad varia poesis genera insumit: omnia pæne, quæ describit, præter satiram, comœdiam, tragœdiam, Sibileto nota erant. De epistula, elegis, epigrammatibus, priores Artium poeticarum scriptores Pelletarius per omnia sequitur : sed, cum de ceteris poematibus agit, multum a Sibileto distat. Si ei creditur, omnes in *sonetto* versus gravissimi sint oportet nullamque prope sententiam patiantur, quæ non ad philosophiæ fontes pertineat (3). Hoc poematis genus, quasi ex duobus vel

---

(1) « Despériers » primam Flacci satiram in versus *rhythmis* carentes transtulerat.

(2) « Il faudrait savoir observer la longue et briève nature de nos syllabes, et bien acoutrer la façon vulgaire d'orthographier, et oster ces concurrences de consonnes et ces lettres doubles que l'on met es syllabes brèves ».

(3) « Il (le sonnet) doit estre élabouré, doit résonner en tous ses vers sérieusement, et doit estre quasi tout philosophique en conceptions ».

etiam tribus clausulis fieri debet : illi enim poetæ omne ferent punctum, qui poematio in medio sic lectorem delectabunt, ut jam ad finem se pervenisse existimet, mox vero novas vires colligent, opusque egregia quadam conclusione coronabunt. Eroticam modo odam Sibiletus noverat ; omnia odæ genera Pelletarius novit : hujus operis in materiem dii, heroes, reges, amores, convivia, etc., ut opinatur, incidunt ; diversos sermonis habitus, prout familiaria sublimiave tractat, induit hoc poema ; nunquam vero, ne si deos quidem celebrat, heroïci stili amplitudinem ac magnificentiam assectatur ; strophæ, quæ decem versuum numerum excedere non debent, artissime inter se connectantur necesse est, modo sensus ex una in alteram ne invadat. — Satiram, quam nullus adhuc in Gallia vates coluerat, ideo Pelletarius parvi facit, quia nihil aliud proficere hanc putat, nisi quod eos, qui reprehenduntur, vehementius exulcerat : nulla enim res tam invisa est, quam ante omnium oculos castigari. — Heroïcum carmen quid sibi vellet, Sibiletus vix noverat : hujus generis, quod solum, ut aït, summa gloria poetam illustrat, minus expertem esse Pelletarium apparet ; epicos vates modeste incipere jubet, philosophiæ quosdam locos poematis materiæ inserere, lectoris denique animum exspectatione suspensum tenere. Epici generis maxime egregium exemplar Maronis poema arbitratur, quod summa admiratione colit ; priscos autem Galliæ vates epica carmina condidisse non nescit : « multum, inquit, hæc poetam juvare possunt, ejusque ingenium alere » (1). — Quod ad scænica opera attinet, nullum aliud genus Sibiletus callebat, quam quæ in media ætate nata erant (2) : Pelletarius, cujus tempore antiqua Græciæ Romæque genera jam restaurata fuerant, de iis

---

(1) « Diray en passant qu'en quelques-uns d'iceux bien choisiz le poète héroïque pourra trouver à faire son profit, comme sont les avantures des chevaliers, les amours, voyages enchanteurs, combats et semblables choses ».

(2) Sib. *Ars poet.*, lib. II, cap. VIII.

præcepta tradit. Comœdia vitæ quasi imago est : eam in tres partes recte distribuit, quarum prima res exponit, secunda implicat, tertia expedit. Putat nullum adhuc fuisse in Gallia opus, cui vís comica inesset. « Hoc poematis genus, inquit, gratissimum tamen est ac dignissimum quod ad pristinam apud veteres laudem revocetur ». — Inde ad tragœdiam versus, recte docet quid sit inter comicum tragicumque opus discrimen, sive ad personas respicias, sive ad sermonem, sive ad fabulæ exitum ; deinde de choro præcepta tradit, qualia in Horatii ad Pisones epistola inveniuntur.

Brevi ex hoc compendio facillime apparet qualis fuerit a Sibileti temporibus Francicæ poesis processus. Quamvis Maroti discipulus olim fuerit Pelletarius, nulla in Arte poetica Maroticæ ætatis vestigia deprehenduntur. Priorum vatum genera funditus reicit, vehementerque ipse queritur, quod « nullum alium campum per tot sæcula poesis nostra sibi patefecerit ». Quantum ad linguam, Pleiadis instituta usque servat : miratur « quam longo tempore domesticus sermo in barbaria jacuerit, quæ non ita pridem ab æqualibus poetis ex nostra eloquendi consuetudine expelli cœpta est » (1). Antiquitatis autem opera adeo veneratur, ut ex iis exempla semper, præcepta plerumque arcessat; Aristotelem quidem nondum novit, sed Flacco familiarissime utitur et ei ipse sese regendum utique præbere solet. Ad Ronsardi Pleiadisque disciplinam tota Pelletarii Ars poetica referri debet.

Ronsardus ipse, cujus vestigia Pelletarius summa diligentia persequitur, Artis poeticæ epitomam quandam decem post annis composuit. Hoc vero opusculum intra tres horas a poeta absolutum esse constat; ceterum nihil

---

(1) « Combien de temps (notre langue) a esté languissante en barbarie jusques environ nostre aage » (lib. II, *De oda*). — De priscis autem mediæ ætatis generibus : « Combien longtemps a esté sofistiquée en ballades, rondeaux, lays, virelays, triolets » (*Ibid.*).

fere in eo, quod apud Pelletarium non inventum fuerit. Eadem de sermone ac vocabulis, de diversis versuum generibus, de *rhythmo* præcipiuntur. Quod ad totam poesis formam spectat, nihil nisi in universum ac summatim Ronsardus tradit. Postrema autem compendii pars in orthographia et grammatica versatur. Non igitur in hoc insistemus; çum autem duæ *Franciadis* præfationes de epico solum carmine disserant, eas, in præsentia saltem, relinquemus (1), ut Laudunii Artem dehinc aggrediamur, quæ, quamvis incohatum pridem et pæne confectum Valkelini poema eo tempore esset, cum ipsa edita fuit, multo tamen antea enotuit, quam in manus hominum hujus opus perveniret.

Paucis enim annis postquam posterior *Franciadis* præfatio vulgata erat (2), suam Artem Laudunius emisit, quæ non magni quidem est momenti, sed tamen silentio prætermitti non debet. In quinque libros totum opus distributum : quorum primus et secundus ad priorem sexti decimi sæculi partem toti respiciunt. Vetera in his poesis genera, *rhythmorum*que modos ac rationes, quales Cretinus et Meschinotus usurpaverant, summo studio Laudunius pertractat; et, quamvis illa exolevisse non dissimulet, hos vero argutiores et spinosiores arbitretur (3), Sibileti potius quam Ronsardi æqualis ac discipulus in hac Artis parte videtur. Nonagesimo octavo sæculi anno ambiguum rhythmum, quem Bellaius quinquaginta ante annis funditus respuerat, pro præstantissimo et maxime egregio Laudunius habere non dubitat (4). Verum hæc et talia non illi ipsi, sed potius Sibileto attribuenda sunt, cujus Artem in duobus primis capitibus imitatur, immo iisdem sæpe verbis

---

(1) V. Partem IV, cap. II. — *De epico carmine.*

(2) Anno 1598.

(3) « Fascheuses et difficiles ».

(4) « La première (rithme) plus excellente et moins usitee pour estre la plus difficile est l'équivoque » (lib. I, cap. XII).

transcribit (1). « J'ay traicté en ces deux livres des sortes et genres de poèmes qui sont contenus es autres arts poétiques, et ay suyvi leur style en ce que m'a semblé bon » (2).

Ceteri libri de generibus ex antiquitate assumptis et de poetico sermone disserunt; in his vero nihil prope est, nisi eadem ipsa quæ apud Valkelinum jam inveniemus. Omnia autem arido prorsus atque exili modo traduntur. Nihil aliud plerumque docet Laudunius, quam quæ versuum species operi cuique accommodandum sit et quæ esse debeat singulorum generum quasi structura. Ἀκροστιχίσιν et anagrammatibus multo plus æquo tribuit; bucolicorum sinceram et meram vim parum intellegit, nullumque ejus generis carmen recipere videtur, quod per allegoriam totum non fiat; de heroïco poemate nihil scribit, quod memorare operæ sit pretium. Illud fortasse in ejus Arte laudandum, quod, quamvis Horatio sæpius obsequatur et Aristotelis auctoritate sese aliquando tegat, eos saltem non tam arte interpretatur quam æquales solebant : hæc Laudunii liberalitas in illa quinti libri parte præsertim apparet, qua tragœdiæ leges exponit; nullis enim terminis fabulam, ut æquales critici solebant, circumscribi jubet, quominus ei liceat tot personas recipere, quot res ipsa poscit; eamque regulam præclarissime refutat, qua tragicum opus intra quattuor et viginti horas coartandum esset.

Quantum ad poeticam linguam, recentiorum poetarum vestigia non semper servat. Vocabula quidem vel de Græco Latinove sermone flexa, vel a novis vatibus caute ficta non committit ut reiciat; sed omnes Pleiadis quasi *propagines* adjectivaque nomina in adverbiorum locum accepta non plane admittit, eas vero voces, quæ ex diversis Franciæ dialectis assumptæ erant, nullo modo patitur (3). Proxima jam esse Malherbæ tempora apparet.

---

(1) Cf. ea quæ de ecloga tradit, et de poesis genere gallice « blason » dicto.

(2) Ad lectorem. Secundi libri fine.

(3) Lib. IV.

Si, omnibus XVI sæculi ante Valkelinum Artibus pertractatis, singularum propria vis definienda nobis est, dici potest a Fabro Gratianoque nostræ poesis imaginem reddi, qualem se habebat, antequam mediæ ætatis instituta et mores a vatibus desererentur ; Sibiletum, quippe qui Maroti discipulum esse se profiteri soleat, manifestæ jam mutationis et summæ ad veteres imitandos inclinationis indicia multa jam præbere ; Pelletarium Pleiadis spes, voluntates, consilia exprimere, sed antequam iis finem imposuerint recentiores poetæ, totumque poesis quasi curriculum emensi, satiram, elegos, epicum carmen ex veterum imitatione, ut alia scribendi genera, arcessiverint. Ronsardus, ætatis suæ princeps, nullam poeticam Artem, hujus nominis vere dignam, reliquit. Laudunii denique opus tanquam biforme est : ut enim prior pars ad priscos Galliæ poetas ac genera tota pertinet, ita Ronsardum in posteriore plerumque sequitur et Pleiadis præcepta sæpius recantat ; sed nihil prope in omni opere tradit, quod non jejunius strigosiusque esse videatur. Jam igitur Valkelini a Fraxineto Artem poeticam perpendemus, in eaque multum ac diu, ut justum est, immorabimur.

PARS QUARTA

DE VALKELINI A FRAXINETO ARTE POETICA

PROŒMIUM

Valkelinus a Fraxineto multa jam laude florebat, quam ex eclogis præsertim et *sonettis* erat consecutus, cum animum ad componendam Artem poeticam adjecit. Tunc enim, septuagesimo quarto sæculi anno, consummatum pæne est Pleiadis opus, nostræque poeticæ summa quædam effigies exprimi potest. Antiqua omnia scribendi genera Ronsardus ejusque discipuli restituerunt, ab odis, quas ad Pindari Flaccique similitudinem finxerat recentiorum vatum princeps, ad heroïcum carmen, cujus exemplar et formam ex *Æneide* idem petierat. In cursu maximarum rerum est Pleiadis magister et summa gloria circumfluit : prudentissimus quisque judex Gallicas litteras ad summum evectas esse arbitratur, amplissimisque veterum operibus æqualium poetarum carmina vel præfert, vel saltem æquat; cunctæ spes, quascumque aliquot adolescentium grex, generoso quodam studio elatorum, intra collegii alicujus parietes, quinque et viginti ante annis, conceperunt, impletæ jam sunt et tanquam coronatæ; ex hoc ludo, velut ex equo Trojano, meros principes exiisse nemo non profitetur. Nulla igitur acrior opportunitas fieri potest ad conscribendam Artem poeticam, quæ recentiorum vatum instituta doceat ac gloriam quasi consecret.

Ubi primum hoc sibi consilium Valkelinus proposuit, poetam Phil. Portæum, quo familiariter utebatur, conscium fecit; ab eo autem rex Henricus tertius admonitus,

ad Valkelinum epistulam misit, qua hortaretur, ut propositum opus extemplo susciperet. Jam igitur incepta, mox vero intermissa, et ex magnis intervallis iterum ac sæpius repetita, Ars poetica, quam sive vatis publica officia, sive bellorum civilium tumultus, uno tenore confici non siverant, octogesimo et nono sæculi anno nondum absoluta erat; sexdecim tantum post annis emissa est et in hominum manus pervenit.

Ab initio ipso, quid sibi proposuerit poeta declarat :

Sire, je conte ici les beaux enseignements
De l'art de Poésie et quels commencements
Les poèmes ont eu, quels auteurs, quelle trace
Il faut suivre, qui veut grimper dessus Parnasse.

Quibus ex versibus totius operis formam intellegere licet. Valkelinus poeticæ leges tradit (*les beaux enseignements de l'art de poésie*), principia et quasi fontes explorat (*quels commencements les poèmes ont eu*), priorum denique Artes poeticas excutit, et ea, quæ ipse præcipit, auctoritatibus confirmat (*quels auteurs, quelle trace il faut suivre*).

Hoc nobis in animo est, ut quæramus primum quid ex superioribus de carminum arte scriptis Valkelinus hauserit (1); præcepta deinde perpendamus, quæ de singulis scribendi generibus mandat (2); tum poesis historiam, qualis ab eo traditur, recognoscamus (3). Cum vero primum caput ad Aristotelem et Flaccum fere totum referatur, et ab his omnia Valkelinus assumat, quæ de Græcæ vel Latinæ poesis historia scribit, in tertio de Gallicarum modo litterarum originibus et cursu, quales ipse docet, anquiremus. Jam vero considerandum erit, quatenus Ronsardi discipulum et sectatorem eum fuisse dici possit (4). Bolæi

(1) Caput primum.
(2) Caput secundum.
(3) Caput tertium.
(4) Caput quartum.

denique Artem poeticam cum Valkelini opere conferemus, qua ex collatione brevis quædam totius libelli clausula exprimetur (1).

PRIMUM CAPUT

QUID EX SUPERIORIBUS DE ARTE POETICA SCRIPTIS VALKELINUS HAUSERIT

Quando et qua mente ad conscribendam poeticam Valkelinus animum adjecerit. — Vidæ, Flacci, Aristotelis auctoritate nititur. — Vidæ et Valkelini Artes inter se conferuntur : in figuris quibusdam et scribendi ornamentis tota versatur imitatio. — Quæ documenta de Græcæ et latinæ poesis historia, quæ præcepta ad diversa genera apta, quæ denique consilia et judicia a Flacco Valkelinus sit mutuatus : fere tota Romani poetæ Ars ab eo translata est. — Quare Aristotelis poetica ad nostrorum vatum, sexto decimo sæculo, utilitatem optime accommoda esset. — Quid ab eo Valkelinus hauserit : ea primum recensentur, quæ singula poeticæ genera contingunt ; deinde de summis ejusdem principiis agitur, qualem ad græci philosophi exemplar noster poeta informat. — Quomodo et quatenus cum domesticæ poesis consuetudine quidquid a veteribus petit, conciliare et accommodare tentet : Aristotelis Flaccique sententiis ac præceptis Francicum aliquem cultum habitumque induit; at veterum sedula imitatione sæpius capitur et seducitur.

Illud singulare animadvertendum est in familia poetarum, ad quam pertinet ipse Valkelinus, quod nullam novitatis ea unquam laudem affectat, sed veterum contra auctoritate se semper tuetur. Bellaius, qui primus quasi signum aliquod sustulit ad illustrandam Galliæ poesim, vates hortatur ut Latinorum Græcorumque spoliis domesticas opes augeant, et, majorum exemplum secuti, Capitolii muros tentent. Quidquid novi in nostram poesim inferre Ronsardus ejusque amici conantur, veterum exemplo semper commendant. Valkelinus ipse, primo poematis initio, Aristotelis Flaccique auctoritate nititur, Vidæ quoque et Minturni, quorum Artes poeticæ ad Græcorum Romanorumque vatum exemplar fuerant compositæ.

(1) Caput quintum.

. . Nos sçavants majeurs nous ont desja tracé
Un sentier . . . .
Pour ce ensuivant les pas du fils de Nicomache,
Du harpeur de Calabre, et tout ce que remache
Vide et Minturne apres, j'ay cest œuvre apresté.

Vida Minturnusque, ut aït, nihil unquam aliud, quam veterum præcepta recantant : Aristotelem et Flaccum vere pro ducibus ac magistris habet.

Itaque in Minturni Arte, quæ quidem tanta oblivione jamdudum sepulta est, non insistamus necesse est. Quod ad Vidam attinet, cujus opus, Valkelini tempore, multis laudibus florebat, pauca de eo sunt disserenda.

Vidæ Ars poetica, tres in libros divisa, multis annis prius edita fuerat quam Gallus poeta suam incepisset (1). Primo in libro quæritur de instituendo vate, quid ejus judicium auresque informet, qui scriptores ei sint legendi; tum vero quæ habeat poesis principia et quibus fontibus emanet. Secundus de inventione ac dispositione in epicis carminibus disserit, quæ prope sola, ut tragœdiam Flaccus, intueri ac curare Vida videtur. Tertius ad poeticam elocutionem totus spectat.

Paucissima sunt quæ Valkelinus ab Italo vate mutuatur. Multa quidem in utroque poemate cognationem quandam referunt; sed nulla plerumque alia est causa, nisi quod ambo poetæ Horatium imitantur : testes loci, quibus epicum carmen modestius incipere poetas uterque jubet (2) auditoremque in medias res, non secus ac notas, rapere (3), vel etiam illis suadet, ut nonum in annum quidquid scripserint premant (4). Quibusdam tamen in aliis non dubitari potest,

(1) 1527.
(2) Vida II, 30. Valk. II.
(3) Vida II, 60. Valk. II.
(4) Vida III. Valk. III.

quin Vidam ipsum Valkelinus imitetur. In primi libri initio versus infra relati :

> Muses, s'il est permis d'enseigner l'art des vers
> Et montrer d'Hélicon les saints écrins ouvers...

hæc Vidæ carmina revocant, ex quibus totum opus principium sumit :

> Sit fas vestra mihi vulgare arcana per orbem,
> Pierides, penitusque sacros recludere fontes.

Epici poematis imago, quam primo in libro Valkelinus exprimit, lineamenta quædam a Vida, quamvis ipsa multo longius pateat, arcessivit. Secundi libri versus :

> Et comme nous voyons beaucoup d'herbes plantees
> D'un bon terroir en l'autre, et les greffes entees
> Dessus un autre pied derechef revenir
> Et de leur premier tronc perdre le souvenir,
> Tout de mesme les traits, les phrases et la grace,
> Prenant d'une autre langue en nostre langue place,
> S'y joignent tellement qu'on diroit quelquefois
> Qu'un trait latin ou grec est naturel françois...

hunc Vidæ locum manifeste referunt :

> Ceu sata, mutatoque solo felicius olim
> Cernimus ad cælum translatas surgere plantas,
> Poma quoque utilius sucos oblita priores
> Proveniunt, etc. (1).

Poetarum inæqualem venam comparaverat Italus vates cum fluvii cursu :

> Interdum et silvis frondes et fontibus humor
> Desunt, nec victis semper cava flumina ripis
> Plena fluunt, nec semper agros ver pingit apricos :
> Sors eadem incertis contingit sæpe poetis... (2).

---

(1) Vida. *Ars poet.*, III, 231.
(2) Vida. *Ars poet.*, II, 410.

Hanc similitudinem Valkelinus his versibus imitatur :

Mais comme tu vois bien que toujours verdoyantes
Les forests ne sont pas, ni les eaux ondoyantes,
Et que jusques aux bords Orne et Seine toujours
N'emplissent regorgeant les rives de leur cours,
Ainsi faible est parfois la veine poétique... (1).

Tertium librum incipit Vida juventutem hortando ut sacros fontes recludat :

Ne te opere incepto deterreat ardua meta :
Audendum, puer, atque invicto pectore agendum.
Jam te Pierides summa en de rupe propinquum
Voce vocant, viridique ostentant fronde coronam...

Hos versus, tertii quoque libri initio, noster poeta sibi adciscit :

Jeunes, prenez courage, et que ce mont terrible
Qui du premier abord vous semble inaccessible
Ne vous estonne point; jeunesse, il faut oser,
Qui veut au haut du mur son enseigne poser.
A haute voix desja la neuvaine cohorte
Vous gaigne, vous appelle et vous ouvre la porte...
Elle respand desja des paniers pleins d'œillets...

In eodem libro aliam similitudinem paulo inferius a Vida Valkelinus mutuatur :

Comme le voyageur qui d'un beau lac aproche
En son bord se va mettre au coupeau d'une roche,
La demeurant longtemps oisif en son repos
Il n'a rien pour objet que les vents et les flots :
Toutefois les forests dedans l'ombre vitree
Montrent de cent couleurs leur robe diapree,

(1) Valk. *Ars poet.*, II.

Et l'ombre des maisons, des tours et des chasteaux
Cette eau luy represente au cristal de ses eaux :
Il s'esjouit de voir que l'onde luy raporte
Par un double plaisir ces forest en la sorte :
Tout ainsi le poète en ses vers ravira
Par divers passe-temps celuy qui les lira,
Esmerveillé de voir tant de choses si belles
En ses vers repeignant les choses naturelles,
Et de voir son esprit de ce monde distrait
Mirer d'un autre monde un autre beau portrait.

Quibus in versibus hunc latini poematis locum prope transcriptum esse apparet :

Ceu cum forte olim placidi liquidissima ponti
Æquora vicina spectat de rupe viator,
Tantum illi subjecta oculis est mobilis unda;
Ille tamen silvas interquevirentia prata
Inspiciens miratur, aquæ quæ purior humor
Cuncta refert, captosque eludit imagine visus :
Non aliter vates nunc huc traducere mentes
Nunc illuc, animisque legentum apponere gaudet
Diversas rerum species, dum tædia vitat (1).

Non longius patent ea quæ Valkelinus ex Vidæ Arte poetica in suam transtulit : itaque dici potest in figuris quibusdam et scribendi ornamentis totam versari imitationem. Quod ad præcepta, ad leges, ad poeticæ artis quasi silvam et materiem spectat, nihil prorsus ab Italo poeta Gallus assumpsit. Ab Horatio et Aristotele quidquid ad ipsam poesis medullam pertinet, diligentissimus veterum discipulus, arcessivit.

Flacci Ars poetica et quædam ejusdem epistulæ plurima ei obtulerunt vel documenta de Græcæ Latinæque poesis historia, vel præcepta ad diversa scribendi genera apta,

(1) Vid. *Ars poet.*, III, 64.

vel etiam consilia, judicia, variasque de tota poesi sententias.

Quantum ad antiquæ poeticæ historiam, elegorum et ïamborum inventionem Valkelinus secundum Horatium memorat (1); docet quomodo priscæ scænæ arti motum et luxuriem paulatim addiderit tibicen (2); satyrici poematis origines explicat (3); quæ initia habuerit tragicum opus ostendit (4); veteris comœdiæ licentiam increpat (5).

De variis scribendi generibus nulla præcepta dat Flaccus, quæ non apud Valkelinum inveniantur. Pleraque ad epicum carmen dramaticaque poemata pertinent. Vatem Gallus poeta monet, ut sibi convenientia, quoties nova formetur persona, fingat (6), non ex fulgore fumum sed ex fumo lucem det (7), ad eventum semper festinet (8), primo medium medioque imum rectissime aptet (9), quædam ex spectatorum oculis tollat (10); vetat ne fabula quinto actu vel minor vel productior componatur (11), ne deus temere intersit (12), ne quarta persona loqui laboret (13); chori officia et partes in tragico carmine explanat (14).

Quod ad consilia, judicia, variasque de tota poesi sententias attinet, Flaccum Valkelinus per omnia sequitur; præcipit et ipse ut poema quodvis simplex sit et unum (15), ne vates culpæ alicujus fuga in vitium ducatur (16), ut diversas operis partes cogere in totum discat (17), ut materiam viribus suis æquam sumat (18); quæ sit ordinis virtus docet (19), quomodo nova nuperque ficta vocabula fidem sint habitura (20), quibus vicibus vel cadant vel renascantur

(1) Hor. *Ars poet.*, 75-82.
(2) Hor, *Ars poet.*, 202-219.
(3) Hor. *Ars poet.*, 220-250.
(4) Hor. *Ars poet.*, 275-280.
(5) Hor. *Ars poet.*, 281-284.
(6) Hor. *Ars poet.*, 119-127.
(7) Hor. *Ars poet.*, 136-145.
(8) Hor. *Ars poet.*, 146-151.
(9) Hor. *Ars poet.*, 151-154.
(10) Hor. *Ars poet.*, 178-188.
(11) (12) (13) Hor. *Ars poet.*, 188-192.
(14) Hor. *Ars poet.*, 193-201.
(15) *Ibid.*, 1-24.
(16) *Ibid.*, 24-31.
(17) *Ibid.*, 32-37.
(18) *Ibid.*, 38-41.
(19) *Ibid.*, 42-45.
(20) *Ibid.*, 46-60.

verba (1), quam difficile sit proprie communia dicere (2), quo pacto fieri debeat imitatio (3); ætatis cujusque mores effingit (4), poetæ officium demonstrat (5), mala memorat quæ sibi ipsi vates facere solent (6); vetera exemplaria assidue versari jubet (7); de priscorum poetarum immeritis laudibus detrahit (8); genti suæ gratulatur, quod nihil intentatum reliquit, vatibusque suadet ne limæ labore offendantur (9); eos deridet, qui nec ungues nec barbam curant ponere (10); se coti ipse comparat, quæ, secandi exsors, ferrum valet acutum reddere (11); recte sapere scribendi principium et fontem esse ostendit (12); vitæ exemplar doctum imitatorem respicere jubet (13); de puerorum illiberali institutione queritur (14); consilia aliqua de verisimilitudine, de venia quibusdam vitiis concedenda adicit, picturam cum poesi confert, mediocres poetas Helicone excludit (15); indignatur quod docti indoctique passim poemata conscribunt, et carmina novem per annos premi præcipit (16); vitæ viam a poetis monstratam esse testatur (17); assentatores arcet (18); boni prudentisque amici officium indicat (19); vesanos poetas exagitat et acerbis denique recitatoribus illudit (20).

In infinitum evadunt, ut apparet, ea quæ ab Horatio Valkelinus petiit : vere dici potest totam Romani poetæ Artem ab eo translatam esse, si modo ii loci, brevissimi quidem rarissimique, excipiuntur, qui Gallorum moribus et auribus nullo modo accommodari poterant. Primus Valkelini liber centum et triginta quinque Flacci versus con-

---

(1) *Ibid.*, 60-72.
(2) (3) *Ibid.*, 128-135.
(4) *Ibid.*, 153-178.
(5) Hor. *Epist.*, l. II, ép. I, v. 118-131.
(6) Hor. *Epist.*, l. II, ép. I, v. 219-228.
(7) Hor. *Ars poet.*, 268.
(8) *Ibid.*, 270-275.
(9) *Ibid.*, 285-294.
(10) *Ibid.*, 295-301.
(11) *Ibid.*, 304-308.
(12) *Ibid.*, 309-311.
(13) *Ibid.*, 312-322.
(14) *Ibid.*, 323-333.
(15) *Ibid.*, 333-373.
(16) *Ibid.*, 379-390.
(17) *Ibid.*, 391-401.
(18) *Ibid.*, 419-445.
(19) *Ibid.*, 445-452.
(20) *Ibid.*, 453-476.

tinet; secundus ducentesimo octogesimo Latinæ Artis carmine terminatur; tertius denique reliqua omnia comprehendit. Itaque Galli poetæ opus nihil aliud est, nisi epistulæ ad Pisones interpretatio aliqua, cui quidem consilia, exempla, documenta, ad novorum temporum occasionem condicionemque accommodata, quotiens sub calamum ,obiter veniunt, Valkelinus addidit, quamque Aristotelicæ Artis, decimum jam annum in Gallia notæ, philosophicis quibusdam fundamentis magnifice instravit.

Aristoteles enim, cujus auctoritas, si ad summam intellegendi disciplinam respicias, nuperrime impelli ac labefactari cœpta erat, jam intra poesis quasi domicilium magis in dies hanc omnium rerum dominationem consequebatur, quæ per duo sæcula poesim nostram oppressit. Primus Scaliger ejus Arte poetica se ipse tuitus erat : ex eadem sæpe Valkelinus præcepta et documenta hausit, quæ jam recensebimus ac perpendemus.

Flaccus quidem poetis dudum prope unicus dux habitus erat; sed epistula ad Pisones non pro justa legitimaque Arte judicari potest: ratione enim ac via non procedit Horatius; familiaris cujusdam sermonis facilitatem ac licentiam præ se fert. Cum igitur sexti decimi sæculi recentioribus poetis tum expressa aliqua auctoritate, tum certis quibusdam elementis, ex philosophia tractis, opus esset, quibus nitterentur, communi demum consensu ad Aristotelem confugerunt, a quo solo gravissimam pariter ac certissimam disciplinam petere poterant. Immo, quæ apud Græcum philosophum pro vitiis nos habemus, ea ipsa ad illorum utilitatem optime accommodabantur: quidquid enim in poesi ad excogitandi sentiendique vim pertinet artissimis legibus Aristoteles circumscribere solet, cujus austera ratio, nullis temperamentis mitigata, nihil incertum inordinatumque usquam relinquere conatur. Itaque ejus Ars poetica tanquam codex nescio quis brevi facta est et formularum tabula quædam, quibus inclusa est poe-

tarum vena. Cum tragœdiæ leges docet, eam in sex partes, neque plures neque pauciores, distribuit; epici carminis vim expressa definitione restringit, formam certis condicionibus necessitatibusque subicit, amplitudinem vero angustis finibus terminat. Hæ inexorabiles surdæque leges temporum imperitiæ mire opitulabantur, in quibus Galli poetæ, majorum disciplina funditus repudiata, domesticam poesim ab integro incohare susceperant. Tot perfectis antiquitatis operibus, tot variis generibus stupefacti, in omnium rerum tumultum certe incidissent, nisi ducem ac magistrum invenissent, qui incertos et perturbatos eorum animos omni fluctuatione levaret. Non aliam ob causam in Aristotelis verba jurare cœperunt; græcus philosophus iis quasi totius antiquitatis oraculum fuit : Aristotelica norma quidquid componere tentabant, metiri jam assueverunt (1).

Valkelinus ipse, quamvis Aristotelis formulas aliquando caveat, ejus auctoritati sæpius se regendum commodat. Quid ab illo assumpserit, dehinc quæremus: ea primum nobis recensenda passim sunt, quæ singula poeticæ genera contingunt; deinde vero de summis ejusdem principiis, qualem ad græci philosophi exemplar Valkelinus informat, pauca disseremus.

Aristotelis Ars poetica de comœdia in transitu et strictim quærit, totaque, ut jam antea dictum est, in tragœdia et in epico carmine versatur. Comœdiæ tamen aristotelicam definitionem non committit Valkelinus ut omittat.

La comédie est donc une contrefaisance
D'un fait qu'on tient meschant par la commune usance,
Mais non pas si meschant qu'a sa meschanceté
Un remède ne puisse estre bien aporté :
Comme quand un garson une fille a ravie
On peut en l'espousant luy racheter la vie (2).

(1) V. Egger. *L'Hellénisme en France,* 13e leçon.
(2) Valk. *Ars poet.*, III. — Arist. *Ars,* V.

Item de tragœdia.

Mais le sujet tragic est un fait imité
De chose grave et juste, en ses vers limité,
Auquel on y doit voir de l'affreux, du terrible,
Du pitoyable aussi (1)...

Dixerat Aristoteles tragœdiam solis conversione plerumque circumscriptam esse (2) : his terminis multo severius etiam Valkelinus, non tragœdiam modo, sed comœdiam quoque definit :

Le tragic, le comic dedans une journee
Comprend ce que fait l'autre (l'épopée) au cours de son [année...
Le theatre jamais ne doit estre rempli
D'un argument plus long que d'un jour accompli (3).

De Homerico Margite judicium græci philosophi Gallus poeta sequitur :

Au poème tragic se raporte et refere
Une Iliade en soy. Le Margite d'Homere
Respondoit au comic, où des hommes moyens
(Comme des plus grands rois), des humbles citoyens
Se voyoit la nature et la façon bourgeoise
Comme Heroïque escrite en la langue grégeoise, etc. (4).

Quod ad epicum genus attinet, ab Aristotele Valkelinus *prosi poematis* notionem accipit (5). Ea refert quæ de præcipuæ in heroïco poemate personæ natura ac moribus philosophus tradit (6) :

Cela fait qu'un Homere ou Virgile ne fait
Qu'un homme soit toujours ou vainqueur ou parfait, [etc. (7).

---

(1) *Ibid.*, III. — *Ibid.*, VI.
(2) Arist. *Ars*, V.
(3) Valk. *Ars*, II.
(4) Arist. *Ars*, IV. — Valk. *Ars*, III.
(5) Arist. *Ars*, I. — Valk. *Ars*, II.
(6) Arist. *Ars*, XII.
(7) Valk. *Ars*, II.

Quidquid denique de atticæ comœdiæ initiis, de græcæ tragœdiæ origine Valkelinus memorat ab Aristotele vel ab ejus interpretibus hausta sunt (1) : ab iis certe accepit quomodo per vindemiam, juxta altare cui hirci exta imposita erant, dithyrambicis carminibus Bacchus pater celebraretur, quibusque vicibus ex his lyricis cantibus nata sit tragœdia et adoleverit (2).

De variis poeticæ generibus non plura ab Aristotele arcessita : sed ipsum græcæ Artis principium Valkelinus assumit, ad quod philosophus totam poesis naturam rationemque redegerat. Nihil autem aliud est, quam imitandi nobis insita facultas quædam ; docet Aristoteles ex hac vi ortum esse totum poetæ opus et officium, qua quidem vehementer impulsi, sive res, quæ sub sensus nostros cadunt, sive species quasdam animo nostro fictas et excogitatas imitamur ; ab hoc fonte derivant variæ omnium liberalium artium ipsiusque poesis formæ. Omnem hanc græcæ Artis partem Valkelinus imitatur, qua Aristoteles, ex his elementis profectus, ipsam poesis originem explanat variorumque generum initia.

On void aussi que l'homme ayant des sa naissance,
Le nombre, l'harmonie et la contrefaisance,
Trois points que le poète observe en tous ses vers,
Que de la sont venus tous les genres divers
Qu'on a de poésie, a raison que naissante
Premier cette nature en tous contrefaisante
Fist que celuy qui fut enclin pour imiter
S'enhardit peu à peu de nous representer
Tous les gestes d'autruy, chanter à l'aventure,
Raportant à la voix l'accord et la mesure.
Depuis il s'ensuivit qu'en beaucoup de façons
Elle fut divisee en l'esprit des garçons

(1) V. Egger. Op. cit., 14e leçon.
(2) Valk. *Ars*, II.

Selon que de leurs mœurs la coustume diverse
A faire les poussoit des vers à la traverse.
De la vient qu'on voyoit les sages genereux
Les gestes imiter des hommes valeureux,
Les prudens contrefaire une vieille prudence
Et mettre d'un Nestor l'esprit en évidence...
Les autres plus legers les actions legeres
Imitoient des mauvais, et comme harengeres
Touchoient l'honneur de tous usant de mots picquants
Au contraire de ceux qui les dieux invoquants
Faisoient à leur honneur des hymnes venerables (1).

Paulo inferius ad eadem sese refert :

C'est un art d'imiter, un art de contrefaire,
Et l'imitation est naturelle en nous ;

Ceteraque jam, ut orsus erat, Aristotelis interpres, peragit :

Et nous plaist en peinture une chose hideuse,
Qui seroit à la voir en essence fascheuse, etc. (2).

Ad aristotelicam imitationis rationem etiam referri potest hæc jam memorata similitudo (3), qua poetam flumini Valkelinus comparat, cujus aquis silvæ, nubes, ædificia proxima remittuntur. Non vero opus est omnes locos persequi, in quibus ad summum idem principium Gallus poeta revertitur. Dubitari certe potest num illam poeticæ quasi philosophiam satis concoxisset : a philosopho saltem sucum et sanguinem haurit, quo suum ipsius opus alat, amplificet, majore gravitate ac dignitate cumulet.

Nihil magis quam hæc apud Valkelinum Vidæ, Flacci, Aristotelis assidua imitatio, significat quantum profecerit poesis nostra ab horum vatum temporibus, quos Faber et

(1) Arist. *Ars*, IV, 1, 2. — Valk. *Ars*, I.
(2) *Ibid.*, IV, 1. — *Ibid.*
(3) Pars posterior, cap. I.

ipse Sibiletus pro exemplaribus habuerant. Postquam vero diligenter perpendimus, quæ ex antiquitate Valkelinus hauserit, jam hinc nobis anquirendum est, quo modo et quatenus cum domestica poesis consuetudine quidquid a veteribus petit conciliet et accommodet.

Illud primum animadvertemus, nihil fere Valkelinum ab iis mutuari, quod non æqualium temporum quasi colore imbuere conetur, sive subiciat, sive admisceat exemplis ab Horatio aut ab Aristotele arcessitis nova quædam exempla ex præsenti vitæ more vel ex patriis monumentis ducta. Tragœdiæ vi ac natura secundum Aristotelem explanata, tragicarum personarum nominibus ab eo relatis Rodomontis ipse nomen et exemplum addit (1); item cum græci philosophi verba ad dramaticorum operum cursum attinentia refert, de quibusdam Orlandi furiosi locis mentionem facit. Illis Horatii versibus translatis, quibus latinus poeta vates operis summam recte apteque componere jubet, in locum ejus fabri, Æmilium circa ludum habitantis (2), Renaudinum quendam, diligentem artificem, sufficit (3). Quam Virgilio Varioque veniam, Cæcilio olim ac Plauto concessam, Flaccus tribui velit (4), Ronsardo Baïfioque, ut quondam Thiardo ac Scævæ, donandam ipse censet (5) ; ne omnia ejus modi exempla singillatim persequamur, eadem semper esse solet Galli vatis cura, ut veterum sententiis ac præceptis Francicum aliquem cultum habitumque induat.

Sed aliquando veterum imitatione captus ac seductus, furtiva nescio qua animi propensione Valkelinus impellitur ut poesis nostræ historiam ad Græcarum Latinarumve litterarum vices ac progressus perperam aptet. Fieri nonnunquam fatendum quidem est, ut prope idem sit utrim-

(1) Valk. *Ars poet.*, III.
(2) Hor. *Ars poet.*, v. 32.
(3) Valk. *Ars poet.*, I.
(4) Hor. *Ars poet.*, v. 54.
(5) Valk. *Ars poet.*, I.

que poeticæ cursus : tum igitur non vituperatione dignus est Valkelinus, quod satis habeat si Flacci aut Aristotelis Artem gallice convertat. Cum de veteris nostræ comœdiæ initiis processuque mentionem facit, hunc Horatii locum manifeste transfert, ad græcam scænam pertinentem :

Successit vetus his comœdia, etc. (1);

nihil vero ex his versibus est, quod in domesticam Gallorum comœdiam non apte recteque cadat (2). Sed plerumque non satis quadrat (quod quidem inferius explanabitur) accommodatio, et argui potest poeta quod vehementius Flacci vel Aristotelis imitatione sollicitatur, quam ut patriæ poesis origines progressionesque bene interpretari valeat.

De consiliis, præceptis, summaque poetici ingenii, sermonis, cultus denique ratione, sæpius, ut supra dictum est, Romanum poetam Græcumque philosophum scite callideque Valkelinus sequitur. Ea scilicet, quæ de fingendorum vocabulorum licentia, Flaccum imitatus, tradit, ad domesticum sermonem rectissime aptari possunt; multæ sunt alioqui sententiæ, multa judicia, quæ, nulla ab ætate, nulla a poesis forma aliena, ex epistula ad Pisones in Valkelini Artem tanquam in domicilium suum immigrare dicas. Sæpe vero nullam ob aliam causam Flacci vestigiis Gallus poeta insistere videtur, nisi ut nihil apud eum relinquat, quod in suum opus transtulisse non gloriari possit : ubi scilicet poetas incusat, quod ungues barbamque non curant (3), ubi de puerorum educandorum disciplina queritur (4), fatendum

(1) Hor. *Ars poet.*, v. 280. — Valk. *Ars poet.*, III.

Ainsi dedans Paris j'ay veu par les collèges
Les sacrilèges estre appelez sacrilèges
Es jeux qui se faisoient, en nommant franchement
Ceux qui de la grandeur usoient indignement,
Et par son nom encor appeler toutes choses, etc.

(2) Cf. Egger. *L'Hellén. en Fr.*

(3) Hor. *Ars poet.*, 295 et seq.

(4) Hor. *Ars poet.*, 322-332.

est eum intempestiva Horatii imitatione seductum esse. Hæc tamen leviora sunt; illa vero graviora veniaque minus digna : præterquam enim quod quibusdam versuum generibus insistit, quibus in Græcorum et Latinorum usu positis, non vero ad domesticam poesim pertinentibus, nullus in Gallica Arte locus esse deberet (1), manifesta imperitiæ signa sæpius interpres edit. Quæ quidem nusquam alias magis perspicue apparent, quam cum Valkelinus, translatis his versibus, qui Satyrorum in scæna partes apud Flaccum explanant, Flacci ejusdem satiras subinde recordatus diversa duo genera confundit, alterum omnino græcum et theatro destinatum, alterum ad Romanos modo pertinens et a scæna alienum (2) :

> De ce bois sont sortis les Satyres rageux
> Qui du commencement de propos outrageux
> Attaquoient tout le monde, estant dessus l'etage :
> Mais depuis ils se sont polis à l'avantage.

Recte hactenus; jam vero in errorem labitur :

> Les bons esprits d'alors, afin que despiteux
> Ils puissent mieux taxer les vices plus honteux,
> Ils mettoient en avant ces satyres rustiques
> Qui sont dieux ehontes, impudents, fantastiques,
> Qui les fautes nommoient et le nom des absents
> Et les forfaits secrets quelquefois des présents.
> Telle estoit des Grégeois la Satyre première:
> Lucile a Rome mist la nouvelle en lumière, etc. (3).

Euripidis *Cyclopum* non quidem noverat poeta noster; fatendum alioqui est nullam apparere causam, cur in Latinam Artem Græcæ scænæ Satyros Flaccus intulerit : nihil vero magis quam hic Valkelini error ostendit incertissi-

---

(1) Iambo scilicet. — Valk. *Ars poet.*, I.
(2) Egger. *L'Hellénisme en France,* 16e leçon.
(3) Valk. *Ars poet.*, II.

mam fuisse et pravissimis opinionibus imbutam antiquitatis sexto decimo sæculo notitiam.

Aristotelem non cautius sequi Valkelinus aliquando videtur. Græci enim philosophi periculossima imitatio. Eum non suspicari dicas aliam poesis formam oriri unquam alio in tempore vel alium apud populum posse, quæ ad Græcorum ingenium non rectissime aptetur. Exploratis domesticorum generum primis initiis ac progressionibus, ex hac Græcæ poesis diligentissima pervestigatione doctrinam hauserat ac disciplinam, quam in Arte profitetur. Valkelino igitur summa cura cavendum erat, ne, Aristotelis vestigia si temere ingrederetur, patrii ingenii et indolis meram virtutem opprimeret. Sæpius tamen fit, ut eum majore studio sequatur, quam Gallicæ Artis scriptorem decuisset : quod quidem ipsi Flacco accidisse supra memoravimus. Ab Aristotele, ut jam dictum est, *prosi poematis* notionem ipsam mutuatur, Gallis vatibus insolitam adhuc et inauditam :

En prose tu pourras poetiser aussi,
Le grand Stagiritain te le permet ainsi, etc. (1).

Hoc autem nullius prope momenti : alia multo graviora sunt ; cum enim de generibus singulis (2), qualia fuerunt a Valkelino descripta, disseremus, eum ostendemus artiores quasdam a Græco philosopho leges accepisse, quibus nulla sane causa erat cur poesim nostram subjungeret.

Nihil vero in hoc mirum : veterum enim opera, exempla, præcepta, tanta admiratione et observantia prosequebatur quidquid in Francia prudentium virum litteras musasque curabat, ut ad eorum nutum et arbitrium poesim nostram flectere et fingere omnes cuperent. Itaque, quamvis in parum cautam imitationem aliquando Valkelinus

(1) *Ibid.*, *ibid.*
(2) Cap. II.

decidat, laudandus potius videtur, cum expressas angustasque aliquas vel græci philosophi vel latini poetæ formulas cavet, quam reprehendendus, cum Gallos vates severiori eorum disciplinæ subicit ac domesticas Camenas alienis vinculis onerat.

SECUNDUM CAPUT

DE POEMATUM GENERIBUS EX ANTIQUITATE ASSUMPTIS

I. De lyricis. — 1° De oda, qualem Ronsardus a Pindaro est imitatus ; summa admiratione pindaricas Ronsardi odas Valkelinus prosequitur, sed mitiorem Anacreontis venam anteponit. — 2° De hymno. — 3° De elegia. — II. De Epico carmine quænam a superioribus Artium scriptoribus tradita essent : heroici poematis vis ac natura ab iis et a Ronsardo ipso parum intellegitur ; Valkelini de eodem genere præcepta epici vatis jus integrum servant. — III. De dramatico genere. — 1° De Francicæ tragœdiæ origine ; tragicum opus severioribus legibus Valkelinus, ut omnes ejusdem temporis vates, subicit. Poetis suadet, ut domestica facta celebrent. — 2° De comœdia pauca a Valkelino traduntur : septi decimi sæculi comœdiæ, quæ ex priscis mediæ ætatis generibus manat, veterum sive præcepta sive exempla non magno adjumento esse poterant. — 3° De tragicocomœdia. — 4° De pastorali carmine : quæ fuerit ante Valkelinum hujus poematis natura ; ingenuam rusticæ poesis venam non intellexisse sexti decimi sæculi vates videntur. — IV. De didactico genere. — 1° De proprie didactico poemate ; hujus generis exemplum Valkelinus in Arte poetica tradit, pauca vero præcepta de eodem poetis mandat. — 2° De Epistula ac Satira, communi *sermonum* nomine nuncupatis. — V. De levioribus poematum generibus : De Epigrammate quid sentiat Valkelinus. — Brevis totius capitis conclusio.

Cum jam exploratum sit, quid ex superioribus de arte poetica scriptis Valkelinus in universum hauserit, singula poesis genera ex veterum exemplo restituta dehinc persequemur. Cetera enim, quæ mediam per ætatem et priore sexti decimi sæculi parte in usu et honore fuerant, a Ronsardo ejusque discipulis, præter *sonettum*, repudiata sunt ; ea quidem Valkelinus non omittit ; sed suum locum paulo inferius habebunt, cum de nostræ poesis historia, qualis in ejus Arte effingitur, nobis erit quærendum. Quod poetæ ipsius vestigia non sequimur, venia nobis haud ægre

concedi potest; ille enim, quanquam opus in tres libros distribuit, nullúm tamen curare ordinem videtur (1). Lyrica primum carmina, deinde epicum poema, tum dramatica genera et didacticum opus explorabimus; de minoribus vero poematis, cum pleraque infimi sint momenti, quædam denique attingemus.

I. De lyricis. — 1° *De oda.* — Odarum genus primum est, quod recentiores sexti decimi sæculi poetæ a veteribus assumpserint; jam enim quinquagesimo sæculi anno lyrica carmina ad antiquitatis imitationem adducta Ronsardus edit. Ex lyricis poesim apud omnes gentes initium semper duxisse constat; voces enim quasdam sive circumfusarum rerum species, sive vividus gaudii aut doloris impetus ab hominum vel rudissimorum pectoribus elicere solet; eæ autem ad lyricum genus pertinent. Odæ vero, qualem ad veterum exemplar finxit Ronsardus, nihil commune cum his priscarum gentium cantibus: immo industriæ artis hoc opus est, multa diligentia multaque sollertia elaboratum.

Jam quidem a primis mediæ ætatis temporibus maxima laude floruerant plurima lyricorum carminum genera: hæc vero, in Galliæ solo nata et extra veterum imitationem culta, ex omni memoria dudum evanuerant. Flacci autem opera, plurimis ante Ronsardum annis, vates nostri noverant; verum in ejus odis, quamvis sæpius assurgat, ea vis, is impetus non esse solet, quo poetæ impulsi excelsa poesis templa tentare potuissent: itaque venustissimo potius Horatii lepore et concinna elegantia delectati fuerunt, quam assimulato in odis quibusdam sublimioris spiritus instinctu concitati et afflati. Pindarica opera Marotum, qui paucis annis ante Pleiadem florebat, nondum nosse constat. Is est novissimus veteris nostræ poesis magister; ejus autem faceta venustaque, sed tenuis et angusta vena grandioris

(1) V. quintum caput.

in odæ perpetuitate stili non capax erat: quod quidem Psalmorum conversio satis ostendit, in quibus totiens laborat vel etiam deficit, tantæ lyrici cantus moli sustinendæ impar. Elegans certe verborum versuumque artifex est; sed gravitate caret, nec is esse potest, qui novorum temporum spei ac voluntatibus satisfaciat. Quod ad Ronsardum attinet, se quasi Pindarum alterum æqualibus haberi voluit: cum, post Maroti lepidas quasi nugas, vel quoque pusillos sæpius angustosque psalmos, odæ Pindarico more fictæ in manus hominum pervenere, summam undique mirationem moverunt : inauditam enim sublimitatem et in domestico sermone quasi peregrinam hæc carmina, Thebanæ lyræ æmula, affectabant. Stili dignitas, imaginum splendor, totius operis novus quidam color et sucus, ex intimis antiquitatis visceribus assumptus, legentium et aures et animum mulcebant, gallicamque poesim cum perfectissimis gravissimisque veterum operibus exæquare videbantur.

In primo Artis poeticæ libro Valkelinus odam attingit: eam primum definit, deinde quibus condicionibus legibusque obnoxia sit, docet.

L'ode d'un grave pied, plus nombreuse et pressee,
Aux dames et seigneurs par toy soit adressee;
De mots beaus et choisis tu la façonneras,
De mile belles fleurs tu la couronneras...
En cent sortes de vers tu la peux varier,
Mais toujours aux accords du luth la marier,
Et que chacun couplet rentre de telle sorte
Que quelque mot poignant en sa fin il raporte
Sentant son epigramme. . . . .
Si d'une fiction d'un long discours tu causes,
Tu pourras diviser cette longueur en pauses.

Ronsardi odas magna admiratione Valkelinus prosequitur; hos versus in eodem libro legimus:

Depuis que Ronsard eut amené les modes
Du tour et du retour et du repos des odes,
Imitant la pavane ou du roy le grand bal,
Le François n'eut depuis en Europe d'égal.

Uberiores quidem sunt et extra modum hæ laudes; sed excusari et possunt et debent; Ronsardo enim tanta animi vis et impetus erat, ut, quidquid in lyrica poesi elatissimum et sublimissimum versatur, mente conciperet; ac, si aliis temporibus viguisset, domesticæque linguæ expeditas tum invenisset paratasque opes, non dubium est, quin jam a principio poesim nostram in summum evexisset. Æstuat ipse angustos intra limites; vinculorum impatiens, quibus mens cohibetur, ea, libero cælo se jamjam permissurus, frangere nequiquam tentat, frenditque et sæpius queritur quod eximiam illam pulchritudinis speciem, quam animo et cogitatione concepit, verbis numerisque exprimere non possit. Hanc autem generosam indignationem veri poetæ esse non infitiandum est. Haud igitur contemnendum Ronsardi ingenium, nec Valkelini laudibus plane indignum. Immo, quamvis grandia quæ professus est et spe præsumpsit, rarissime impleat, in odarum ipsarum justa certaque conformatione, in stropharum et antistropharum vicibus, in sonorum verborumque splendore, majestas quædam inerat, quæ, etiamsi nihil in se haberet satis expressi ac solidi, æqualium tamen admirationem haud immerito excitabat, et judicia non dedecorabat. Venia igitur Valkelino non neganda est, si omnium laudibus laudes ipse suas miscet.

At vivida Pindari et quasi animosa oda, quæ cantata, immo saltata erat, ex heroum, civitatum, deorum præconiis, ex magna circumstantium corona, ex splendidæ ipsius pompæ apparatu, quæ omnia tanquam adventicia et a re aliena nobis videntur, spiritum ipsum ducebat et præsentis actus effectum. Itaque Flaccus, qui in longe diversis tem-

poribus, longe alia civitate carmina scribebat, prudentiorem semper et cautiorem sese præbuit, quam ut pindaricam odam tentaret:

Pindarum quisquis studet æmulari, etc.

Ronsardo non eadem verecundia fuit : antiquos lyrici carminis habitus renovavit, cum illa odæ species et forma vix aliud quicquam esse posset, quam frigidior insulsiorque vetustatis imitatio.

Pindaricum tamen genus summo in honore erat, cum Henricus Stephanus, quinquagesimo quarto sæculi anno, Anacreontis opera primum in lucem edidit. Ampullantem Ronsardum et sesquipedalibus verbis ad Pindari exemplum turgescentem, nihil magis temperare poterat, quam illius vatis carmina, quorum amœnissimus lepos venustissimaque festivitas tam vehementer a Thebani poetæ sublimitate discrepabant. Simul ac Teii senis blandissimæ odæ, velut totidem apes, tumidam nostrorum vatum venam punxerunt, ex plus quam humana altitudine ad simplicem liberamque familiaritatem, communi mortalium in usu positam, lyra jam descendit: Ronsardus ipse, nescio qua contagione tactus, a Pindaro desciscit pennasque Dædalea ope ceratas, quibus modo nitebatur, abdicat, et altos nubium tractus affectare jam desistit, quos antea, infeliciore sæpe audacia, tentaverat (1).

Valkelinus, quippe qui multis annis minor Ronsardo sit, Anacreonticæ quam Pindaricæ venæ amantior videtur. Plurimi quidem, ut jam apparuit, Pindari odas faciebat: sed intima quadam animi proclivitate Anacreontis lepores veneresque magnificæ Thebanæ lyræ obscuritati anteponebat. Quod quidem sponte, omissis ambagibus, in his versibus confitetur:

---

(1) V. Sainte-Beuve. *Anacréon au XVIe siècle.*

Mais rien n'est si plaisant que la courte odelette,
Pleine de jeu d'amour, douce et mignardelette (1).

Nec tantum in Arte poetica quid sentiat apertis verbis declarat, sed etiam pleraque ejus opera eandem voluntatis inclinationem manifeste significant. Nullus enim est, inter sexti decimi sæculi poetas, in quo plura inveniantur, quæ, levi quadam et suavi venustate, Anacreonticam venam redoleant. — Versus supra relatos illi sequuntur, in quibus pindaricæ musæ recursum aliquem formidare et abominari videtur :

Si tu veux du sçavoir philosophe y mesler,
Par la Muse il le faut à ton aide appeler...
Et non l'assujettir aux mots sentencieux
Sans qu'elle sente un peu son air capricieux (2).

Pindarum summa reverentia, e longinquo majore, Valkelinus prosequitur, sed mavult, ut ipse aït,

. . . . et s'esjouir et rire
Et sur la Teienne et la Saphique lyre (3).

Versuum operosam laboriosamque artem abhorret, quibus poeta primum, deinde lectores ipsi torquentur.

C'est le but, c'est la fin des vers que resjouir,
Les Muses autrement ne les veulent ouïr (4).

Quamvis enim maximis laudibus primas etiam Ronsardi odas cumulet, sentit fortasse, naturæ magis instinctu quam ratione ipsa, nostrorum poetarum ingenium tantæ altitudini impar esse ; non autem aliud est posterorum judicium de generosa Pleiadis audacia.

(1) Valk. *Ars poet.*, lib. I.
(2) Valk. *Ars poet.*, lib. I.
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*

2° *De Hymnis.* — De hymnis pauca tradit Valkelinus; satis habet præcipuorum vatum, qui in hoc genere floruerunt, nomina promiscue commemorare, Orphei, Homeri, Callimachi, Marulli, Claudiani, quibus Davidem etiam adjungit. Pelletarii facilitatem parum meritis laudibus afficit, Ronsardumque affirmat veteribus in hoc genere præstitisse. De hymno hactenus: nihil ad ipsam generis naturam spectat.

3° *De Elegia.* — De elegia non plura. Horatii versus, qui ad eam pertinent, repetit Valkelinus, docetque qui versuum numeri ac modi ad hoc genus accommodari debeant:

. . . . . Ces plaintes inventees
Par nos alexandrins sont bien représentees
Et par les vers communs, soit que diversement
En stances ils soient mis, ou bien joints autrement (1).

Denique poetas hortatur ut breves sint et « politissimum Cynthiæ amicum » sequantur.

II. De Epico carmine. — Nobis, Fabri Sibiletique Artes poeticas excutientibus, vetera Gallorum vatum heroïca oblivione ac silentio pæne mersa jampridem esse apparuit. Hæc grandia primum fortiaque poemata, quæ mox dulciores amoris affectus non enervaverunt quidem, sed molliore quodam suco imbuerunt, paulatim ad frigidas insulsasque ἀλληγορίας, ad amatorias cavillationes et argutiolas descenderant; in Orlandi Arthurique locum hi successerant belluli amatorculi, quales effingit poema *de Rosa* inscriptum. Languescebat igitur in his futtilibus nugis epica poetarum vena, cum *Ilias*, *Odyssea Æneis*que in hominum notitiam pervenerunt, vatibusque nostris, domesticæ antiquitatis rudibus, summum vernaculæ Musæ fastidium incussere. Tentaverunt igitur Homeri Vergiliique imita-

(1) Valk. *Ars poet.*, I.

tionem. Sed epici poematis vis ac natura in eorum intellcgentiam non satis cadebant. Incerti quid sibi heroïca vellent, iis longi, deinde magni operis nomen indiderunt. Pelletarius epicum carmen immenso mari comparat; mox vero, cum ejus materiam definire complectique vult, nihil pæne aliud in eam incidere quam bella sinit (1); nulla autem præcepta dat, et satis esse ducit si ad *Æneidos* exemplar poetas vocat; immo ejus epistulæ fortasse memor, in qua Homerum quid pulchrum, quid turpè sit, planius ac melius Chrysippo et Crantore præcipere Flaccus contendit (2), epicum carmen ad moralis præcepti commentum redigere videtur. Sexagesimo primo sæculi anno Scaliger de epico carmine quædam scribit, in quibus Aristotelis jam disciplinam sequitur : sed nihil in his, quod non confusum sit; vix scire potest criticus, quo se ipse vertat. Ne veram quidem *Iliadis* materiam dinoscit, quam in Trojæ obsidio et expugnatione verti credit (3). Illud autem poema tanto *Æneidi* inferius esse judicat, quanto nobilissimæ matronæ vilis muliercula (4).

Mox vero ex quibusdam præceptis, quæ vel a græco philosopho vel ex Horatii Arte poetica nostri vates duxerunt, aut in veterum ipsis exemplaribus invenere, multiplicium tanquam formularum codex undique colligitur, quem penes epici carminis jus, arbitrium et norma per duo tota sæcula erit. Sexagesimo quinto sæculi anno Ronsardus Artem poeticam, de qua pauca antea relata sunt, edit : nihil vero in hac de epico poemate. Septem post annis, non contentus quod Pindaro æmulatus esset, altera *Æneide* domesticam poesim illustrat. In *Franciadis* præfatione decem syllabarum versum, ut heroïco poemati aptissimum, probat; de quibusdam sui ipsius operis locis disputat :

(1) *Ars poet.*, lib. II.
(2) Hor. *Epist.*, I, 2.
(3) Lib. IV, cap. 1.
(4) De his, quæ supra memorantur, Cf. Egger, op. cit., leçon 17e.

nullum vero disciplinæ indicium dat, quæ totam epici carminis formam contingere videatur. Restat jam ut in ipso poemate quæramus, quid de hoc genere Ronsardus judicet. Quattuor *Franciadis* libri, quam conficere non ei contigit, frigidi sunt enervesque; hæret languetque fabula et disjectis partibus constat, quæ, undique collatæ, vix uni poematis formæ reddi possunt. Non aliter quam æquales de heroïco opere Ronsardus sentit : id nihil aliud est, nisi immensa aliqua machina, cujus alveus, certis quibusdam intervallis, contionibus, prœliis, somniis, naufragiis, referciendus sit; hæc epici carminis membra ex omnibus antiquorum vatum poematis colligere et in unum corpus cogere, hoc est heroïci poetæ opus. — Octogesimo quarto sæculi anno, priori præfationi alteram Ronsardus sufficit, quæ post ejus mortem (1) edita fuit. In hac minutissima quædam traduntur præcepta de verborum circuitu, de similitudinibus, de vocalium et consonarum usu, de gallica etiam orthographia. Incompositum inordinatumque totum opus. Quædam certe, quæ ad epici carminis ipsam virtutem spectant, præclare docentur, cum imprimis historici heroïcique vatis officia dinoscit Ronsardus; sed tamen veram meramque totius generis vim non plane intellexisse poeta ipse dici potest; non modo artis terminis carmen includit, sed etiam multo magis artificio quam libero poetarum ingenio conferre in heroïcis pangendis videtur. Quamvis prope solus inter æquales poetas Homericorum poematum veram intellegentiam sæpius habuerit (2), Vergilium Homero ipse præfert. Ceterum ex arte et fictione omne epicum opus fieri arbitratur. Si ei creditur, Iliadis scriptor, cum vellet Æacidarum gratiam sibi conciliare, ex vetere fabula divinum poema condidit, in quo omnes personas suo arbitrio finxit. Nihil igitur mirum, quod Ronsardus facti-

---

(1) 1587.

(2) Hoc carmen legere satis est, qui ex hoc versu initium sumit :

Je veux lire en un jour l'Iliade d'Homère.

ciam epicorum quasi structuram tantum doceat, cujus ad exemplar suum ipse de Franco carmen composuerat.

Valkelinus, etiamsi nullum temporis modum heroïco poemati Aristoteles assignasset, unius anni spatio totum opus circumscribi vult; artiora quædam Flacci præcepta sæpius refert; non sane his vinculis satis expeditus est, quæ nullam aliam vim habent, nisi ut poetæ impetum retardent. Sed nusquam tamen apud eum occurrunt hæ superstitiosæ futtilesque formulæ, hæc totius poematis in certas partes descriptio, hæc amplificandæ materiæ artificia, quæ superiores sola tradiderant. Immo nescio quid liberale ac generosum inest in his, quæ de epico genere scribit :

Tel ouvrage est semblable à ces fécons herbages
Qui sont fournis de prez et de gras pasturages,
D'une haute fustaye et d'un bocage espais...
Les cerfs soit en la taille ou soit dans les gaignages
Y font leurs viandis, leurs buissons, leurs ombrages ;
Les abeilles y vont par escadrons bruyants
Chercher parmi les fleurs leurs vivres rousoyants;
Le bœuf laborieux, le mouton y pasture,
Et tout autre animal y prend sa nourriture.
En l'ouvrage héroïque ainsi chacun se plaist,
Mesme y trouve de quoi son esprit il repaist ;
L'un y tondra la fleur seulement de l'histoire,
Et l'autre à la beauté du langage prend gloire (1).

In his versibus nihil artificiose concinnati, nihil ad angustiorem generis formam compositi, nihil quod liberum poetæ cursum impediat : vaga quædam licentia potius quam artior severitas reprehendi potest. In Homeri Hesiodique poematibus, priusquam subtilia de quoque genere præcepta Artes poeticæ tradidissent, expedita quædam facilitas

(1) Valk. *Ars*, I.

inerat promptaque copia nullis legibus adstricta. Primam hanc et nativam antiquitatem supra relatos versus redolere dicas, tum cum largo plenoque flumine effusum nullis impedimentis adhæresceret poetarum ingenium (1).

Jam vero eventa personasque Valkelinus persequitur, quæ in epici poematis materiam cadere possunt.

C'est un tableau du monde, un miroir qui rapporte
Les gestes des mortels en différente sorte ;
On y void peint au vray le gendarme vaillant,
Le sage capitaine une ville assaillant,
Les conseils d'un vieil homme, escarmouches, batailles,
Les ruses qu'on pratique au siége des murailles,
Les joustes, les tournois, les festins et les jeux,
Qu'une grand reine fait au Prince courageux
Que la mer a jetté par un piteux naufrage
Après mile dangers à bord à son rivage ;
On y void les combats, les harangues des chefs,
L'heur après le malheur, et les tristes meschefs
Qui talonnent les roys, les erreurs, les tempestes
Qui des Troyens errants pendent dessus les testes,
Les sectes, les discords, les points religieux
Qui brouillent les humains entre eux litigieux ;
Les astres on y void et la terre descrite,
L'Océan merveilleux quand l'Aquilon l'irrite,
Les amours, les duels, les superbes dédains
Où l'ambition mist les deux frères thébains,
Les enfers ténébreux, les secrettes magies,
Les augures par qui les citez sont régies,
Les fleuves serpentants, bruyants en leurs canaux,
Le cercle de la Lune où sont les gros journaux
Des choses d'ici-bas, prières, sacrifices,
Et des Empires grands les loix et les polices.
On y void discourir le plus souvent les dieux,

(1) V. Egger. *Hellén. en Fr.*

Un Terpandre chanter un chant mélodieux,
A l'exemple d'Orphée; et plus d'une Médée
Accorder la toyson par Jason demandée;
On y void le despit où poussa Cupidon
La fille de Dicæe et la povre Didon.
Car toute poésie il contient en soy-mesme,
Soit tragique ou comique ou soit autre poème (1).

Nullis, ut apparet, terminis, circumscribitur a Valkelino campus, in quo epicus poeta exsultare et ingenio quasi habenas remittere possit. Quid de heroïco genere sentiat, novissimi duo versus concludere videntur. In eodem libro jam hæc scripserat :

> Mais il faut de cet Art tous les préceptes prendre
> Quand tu voudras parfait un tel ouvrage rendre;
> Par cy par la meslé rien ici tu ne lis
> Qui ne rende les vers d'un tel œuvre embellis.

Epici carminis apud priscas gentes amplitudini optime convenit hujus definitionis licentia, quæ heroïcorum materiam in immensum patere sinit, et quidquid ceteris generibus proprium est epico generi adjungit; eo modo nullis epos limitibus includitur, quominus ei liceat omnem vitæ imaginem effingere omnemque rerum humanarum memoriam complecti : magnum aliquod receptaculum est, quo cunctæ poesis tanquam venulæ confluunt. Hæc libertas, quam heroïco poetæ Valkelinus concedit, mox sub angustissimæ disciplinæ jugum cadet. Valkelino ipsi, quamvis epici vatis jus integrum servet, non adeo gratulandum fortasse est; nullam enim ob aliam causam eum latius spatiari passus est, omnibusque vinculis expedivit, nisi quod incertus erat, quomodo totius generis formam animo conciperet. Primos tantummodo *Israëlidis* versus novimus,

(1) Valk. Prim. Cant.

quas Artis poeticæ secundo libro ipse adscripsit, nec ullum de hoc vix incohato poemate judicium ferre possumus: sed, si opus absolvisset, pro verisimili habendum est, eum *Franciadem* potius quam *Iliadem* alteram compositurum fuisse.

III. De dramatico genere. — 1° *De tragœdia* — Dramaticis generibus media in ætate usitatis tragœdiam comœdiamque recentiores sexti decimi sæculi poetæ suffecerant. Tribus post annis, quam Bellaius *Gallicæ linguæ Defensionem* ediderat, *Cleopatram* Jodellius, primam domesticæ scænæ tragœdiam docet. Quamvis hoc opus per se ipsum non maximi sit pretii, ex eo tamen initia recentioris Franciæ theatrum ducit: primum intra quattuor et viginti horas res contrahitur, primum una est atque simplex; ad Græcorum poetarum exemplar totam tragœdiam Jodellius fingit; non actuosa fabula, non multæ personæ, brevissimi actus, quos chorus medios intercinit. Post Jodellium, tragicam artem altius exaggeravit Garnerius; sed laudes, quibus floruit, ad id fere solum pertinent, quod politiore et graviore utitur genere dicendi. Ipsa tragœdiæ vis eadem, quæ apud Jodellium, manet.

Omnia in Valkelini Arte de tragœdia præcepta inveniuntur, quibus Jodellius et Garnerius sponte gratuitoque Gallicam scænam adstrinxerant: non hoc genus eadem libertate frui, qua epicum, sinit. In primo libro duodecim syllabarum versus gravi tragœdiæ aptos esse jure docet; in secundo ea, quæ mandaverat Flaccus, ipse interpretatur. De fabulæ simplicitate nihil præscribit; sed semel atque iterum vetat, ne diei unius spatium excedat res :

Le tragic, le comic, dedans une journee
Comprend ce que fait l'autre au cours de son annee (1).

(1) Valk. *Ars p.*, II.

Paulo autem inferius :

Le theatre jamais ne doit estre rempli
D'un argument plus long que d'un jour accompli.

Quintos in actus distribuenda est fabula, quæ

Ne doit point avoir plus de cinq actes parfaits (1).

Tres personæ satis sunt :

Et ne parle un quatrième en l'étage avec trois :
Trois parlant seulement suffisent à la fois (2).

Sequuntur omnia quæ de rebus ex spectatorum visu tollendis, de verisimilitudine, de chori partibus Flaccus tradit.

Nihil omnino apud Valkelinum adhuc de hoc genere invenimus, quod ex Epistula ad Pisones non quæsiverit. Illud, quamvis ab eodem fonte sit arcessitum, notandum tamen est, poetis eum gratulari quod domestica facta celebrare ausi sunt veterumque vestigia aliquando deserere : in tertio enim libro, de tragicis epicisque vatibus locutus, hæc addit :

Ils n'ont pas mérité peu de gloire et d'honneur,
D'avoir laissé du Grec et du Romain sonneur
Le vieux chemin battu, faisant chanter la gloire
De leurs gestes privez aux filles de Mémoire.

Agnosci quidem facile possunt hi Flacci versus :

Nec minimum meruere decus, etc. (3).

Sed, secundo in libro, Horatii non jam vestigiis insistit Valkelinus, ubi poetas hortatur ut fabularum argumenta ex patriis historiis petant :

(1) II.
(2) II.
(3) Hor. 285 et seq.

. . . . Chercher loin ne te faut,
Un monde d'argumens, car tous ces derniers ages
Tragiques ont produit mile cruelles rages.

Vetat quidem præsentium temporum facta in scænam inducere :

Mais prendre il ne faut pas les nouveaux argumens;
Les vieux servent toujours de seurs enseignemens;
Puis la Muse ne veut soubs le vray se contraindre;
Elle peint du vieux temps tout ce qu'elle veut feindre.

Æqualium vero temporum eventa posteræ vatum ætati pro argumento erunt :

. . . . Povre France,
Tes massacres cruels aux beaux ans qui suivront
Aux poètes tragics de sujets serviront (1).

Domestica facta celebrare jamdudum Itali cœperant: quarto decimo sæculo Albertinus Mussatus tragœdiæ, cui titulus *Eccerinis*, argumentum ex Patavii historia quæsiverat. In Francia vero, eo ipso anno, quo Artem Valkelinus incohavit, Colinii mortem poeta quidam, nomine Cantalupius, scænæ mandaverat; anno autem, quo Ars edita fuit, Antonius a Monte-Christiano tragœdiam, *Scota*, sive *Maria Stuarta*, nomine inscriptam, docet. Præsentium temporum res in theatrum inducere merito Valkelinus tragicos vetat; sed ei gratulandum est, quod Græcarum Romanarumque historiarum argumentis Gallicam tragœdiam non includat. Hæc libertas scænæ nostræ non diutius concedetur : septimo decimo sæculo nulla prope fabula probari poterit, in qua Latinæ Græcæque personæ ante spectatorum oculos non prodeant; nullam penitus docere licebit, quæ domesticæ historiæ res attingat.

2° *De comœdia.* — Legibus supra relatis, quæ tragœdiæ

(1) II.

pariter et comœdiæ congruunt, paucissima Valkelinus addit comicæ fabulæ propria. In primo libro, octo syllabarum versus huic generi assignat; in tertio præcepta tradit. In tres partes, præter prologum, ab eo distributa est comœdia : in prima fabulæ argumentum poeta sic exponit, ut exspectatio moveatur, non vero impleatur; secunda nihil aliud est quam totius argumenti implicatio (1); tertia autem involuta omnia evolvit et enucleat. Cum vero Valkelinus se profiteatur Artem poeticam ideo suscepisse, ut vates regeret (2), mirum fortasse videbitur, quod de comico genere non plura, non certiora tradat. Nihil enim in his de comœdia præceptis, quod valde poetis prodesse possit : concinna quidem est partitio, sed ante omnium oculos posita (3). Laudanda tamen esset potius quam vituperanda Valkelini modestia, si alia ei causa assignari posset, quam inopia quædam ac penuria. Paucissima enim apud Aristotelem de comici generis natura inveniuntur; ceterum, ne una quidem Diphili, Philemonis vel ipsius Menandri fabula supererat, ad quam sese ipsi flectere sexti decimi sæculi poetæ possent; nulla autem ex Aristophanis comœdiis, quæ in manus hominum pervenerant, Gallicæ scænæ apta erat. Latinæ quidem fabulæ minus a theatro nostro abhorrebant, Valkelinusque ipse animadvertit Gallos poetas ab Aristophane ad Romanos vates jam ex principio defecisse (4); sed, quamvis cum nostra consuetudine Latinæ scænæ cognatio quædam deprehendi possit, totum comœdiæ genus in alienigenarum vatum imitationem cadere nullo modo potest. Tragœdia hos animi motus et affectus effingere solet, qui ad omnem humanitatem pertinent; comœdia vero

(1) « Brouil de l'entier argument ».

(2) J'ai fait mon Art poétique, dit-il,

> Pour que tous ces esprits qui de mots entassez
> D'un ordre non suivi font des monceaux assez,
> Se réglant ne soient plus à ces singes semblables, etc. (Lib. III).

(3) Eadem comici operis distributio apud Pelletarium jam inventa est.

(4) Lib. III.

domesticis cujusque gentis moribus imbuta adeo est, ut ex patrio domicilio non emigrare possit, quin peregrina insolensque videatur. Nulla alioqui erant in tragico genere vernaculorum vatum vestigia, quæ æquales poetæ sequerentur : *mysteria* enim, nullius plerumque pretii, a legitima tragœdiæ specie longius aberant, quam ut aliquid ex iis hauriri posset; comicum contra genus, quamvis hoc nomen media in ætate non usitatum fuisset, quibusdam quasi radicibus, patrio solo fixis, innitebatur; jam præcipuas recentioris comœdiæ personas adumbraverant prisci Galliæ poetæ, quales septimo decimo sæculo Molerius absolvit. Itaque sexti decimi sæculi comœdiam, etiamsi Aristophanem rarius, Plautum sæpius ac Terentium imitetur, neque græcam neque latinam esse vere affirmari potest; ex comicis mediæ ætatis generibus manat, et, quamvis Jodellius, Grevinus ceterique hæc in prologis exagitent ac derideant, inde tamen et fabularum argumenta et personarum mores deducunt. Quapropter comicum opus libertate semper usum est, quam tragicis vatibus nunquam concessere Artium poeticarum scriptores. Angustioribus terminis hanc licentiam cohibere et domesticas comœdias in artiorem veterum imitationem invitas compingere non tentavit Valkelinus.

3° *De tragicocomœdia.* — Tragicocomœdiam definiendo explicare satis habet Valkelinus, quæ in scænam nostram nuperrime inducta erat. Octogesimo enim sæculi anno primam hujus generis fabulam (1) Garnerius docuerat. Fit tragicocomœdia, inquit Valkelinus,

Quand il y a du meurtre et qu'on voit toutefois
Qu'à la fin sont contens les plus grands et les rois (2).

Brevis hæc est definitio et ad rem satis accommoda. Veterum auctoritate pæne insolitum genus tuetur Valkelinus :

---

(1) *Bradamante.*
(2) *Ars p.*, lib. III.

Euripidis *Ionem, Orestum, Iphigeniam, Helenam, Alcestam* testatur.

4° *De pastorali carmine.* — Pastorale carmen Sibiletus, ut antea dictum est, dramatico generi adjungit : sexti decimi enim sæculi eclogæ, quanquam scænæ non destinatæ, personas plerumque inducunt alternis vicibus interloquentes. Ante Ronsardi tempora natum esse cultumque in Gallia bucolicum carmen memoravimus, cujus artificiosam et multum ab ipsa veritate abhorrentem speciem ac formam Marotus, Vergilium recentioresque Italiæ poetas imitatus, domestico solo insevit. Hunc bucolicorum fucatum colorem nostri deinceps vates retinuerunt. Bellaqueus, « naturæ pictor, » in pastoralibus poematis optimates regesque inducit opilionum vestibus indutos. Ronsardus, quamvis amœni ruris rivos, nemoraque et saxa musco circumlita amet inaffectatoque sæpius lepore in carminibus depingat, bucolica tamen ad facticium idem genus accommodat. In illis enim Catharinæ Medicææ vel Caroli noni laudes plerumque celebrant fictæ per allegoriam personæ, vel simulatos amores mentiuntur elegantibus adeo versibus ac tam exquisita subtilitate, ut non pastores, rustica vitæ consuetudine imbutos, sed aulicos, omni morum sermonisque urbanitati et munditiæ assuetos, in scænam prodire appareat.

In Valkelini Arte nulla de bucolicis præcepta. Tertio libro ejus generis origines memorat, gloriaturque tum quod eclogas in Franciam ipse intulit,

Et ce flageol estoit resté Napolitain
Quand pasteur des premiers sur les rives du Clain
Hardi je l'embouchay....

tum (1) quod versibus prosam in hoc opere princeps ad-

(1) In iis poematibus, quibus titulus gallice « Foresteries » inscriptus est, ultimæ eclogæ prosa versibusque mixtæ sunt.

junxit. In primo libro, postquam de variis cujusque vatis officiis disseruit, his illa addit :

> L'un fait une satyre et l'autre une idyllie
> Qui jusqu'aux petits chants des pasteurs s'*humilie*.

Hanc ipsam vocem Bolæus in Arte poetica eidem poematum generi aptat :

> Telle, aimable en son air, mais *humble* dans son style,
> Doit éclater sans pompe une élégante idylle (1).

Si ex uno verbo quid de pastorali poemate sentiat Valkelinus judicare liceret, dici fortasse posset eum sinceriorem veritatis colorem in hoc genere desiderasse. Ad levissima enim pastorum carmina descendere, quid est aliud quam fucatam priorum poetarum elegantiam repudiare et ad rusticorum morum simplicitatem bucolica revocare ? Sed ipsa Valkelini in eodem genere opera non sinunt, ut illum credamus alia de eclogis ac poetas æquales sensisse. In his carminibus, quæ undeviginti annos natus edidit (2), politissimi urbanissimique pastores Normanniæ silvas elegantissimis versibus resonant. Mittamus vero prima hæc juventutis poemata, cum ea, quamvis magnam admirationem concitassent, omnium operum corpore, quod ipse quinto septimi decimi sæculi anno edidit, quasi pæniteret, excluserit. Quod ad *Idyllia* spectat, pastoralibus æqualium vatum poematis longe præstant. Ipse in præfatione : « Ce nom d'idyllie, inquit, m'a semblé se rapporter mieux à mes desseins, d'autant qu'il ne signifie et ne représente que diverses petites images et gravures en la semblance de celles qu'on grave aux lapis, aux gemmes et calcédoines, pour servir quelquefois de cachet. » Hæc definitio ad idyllium pertinet, quale composuerant veteres ; et ipsa Valkelini carmina græcarum eclogarum odorem quendam redo-

(1) Lib. II.
(2) *Foresteries*.

lent. Sed tamen non hæc est vera sinceraque bucolici poematis natura : in his quoque putidior sermo est, exquisitiores sententiæ quam ut in pastorum vitam incidere possint (1). Quamvis ingenuam rusticæ poesis venam multa in opere significent, ad bellulos *Astrææ* pastores, quæ post aliquot annos edita fuit, potius quam ad Theocriti *Bucolica,* totum volumen referri debet.

IV. De didactico genere. — 1° *De proprie didactico poemate.* — Hoc genus levissime Valkelinus attingit. Illud præsertim notandum videtur, didacticum poema ab eo duci pro medio quodam inter bucolica epicumque carmen genere ; itaque ad id opus hunc poetam vocat, cui, quamvis heroïcum non satis spiret, majus tamen altiusque ingenium est, quam ut intra bucolicorum fines sese contineat.

> Si d'une longue alaine un bel œuvre tu veux
> Parfaire pour passer jusqu'aux derniers neveux,
> Chante d'un air moyen, non tel que l'héroïque,
> Ni si bas descendant que le vers bucolique,
> Mais qui de l'un et l'autre un vers enlassera
> Qui tantost s'élevant tantost s'abaissera (2).

Nobis inferius (3) exploranda erit Valkelini Ars poetica, non jam qualia præcepta documentaque tradat, quæsituris, sed quomodo didacticum ejusmodi opus animo conceperit.

2° *De Epistula ac Satira.* — Epistulam elegosque artissima cognatione inter se contineri Sibiletus, ut supra memoratum est, putat. Epistulæ Pelletarius non incuriosus est, satiram vero pro opere nullius momenti habet. Alterum genus Marotus primum in Gallia tractaverat ; ejus vero nunc etiam feruntur multæ prope perfectæ epistulæ. Alterius usque ad Ronsardum ejusque discipulos insolens

(1) V. Sainte-Beuve. *Tableau de la poésie au XVI[e] siècle.*
(2) Lib. I.
(3) Cap. V.

nomen apud nos fuerat. Recentiorum quidem vatum plura carmina pro veris satiris judicari debent: Bellaii *Aulicus poeta*, Ronsardi *Violata Dryas, de temporum ærumnis Sermo*, multa etiam Rapini, Passeratii aliorumque poemata. Sed nemo ante Valkelinum justas ac legitimas satiras, hoc nomine inscriptas, ex destinato composuerat. Cum igitur hoc genus gallicæ poesi primum ipse intulerit, mirum videri potest, quod in Arte tam pauca de eo disserat. Nec plura de Epistula, quam satiræ sociam adjungit. Utrumque opus in tertio libro aggressus, satis habet ad Horatii exemplum poetas vocare, recteque interpretari quid inter Romani vatis satiras et epistulas interesse videatur.

. . . . . Aux Satyres il tache
Arracher de nos cœurs les vices qu'il attache,
Et (que) tout au contraire aux Epitres il veut
Mettre et planter en nous toutes vertus s'il peut (1).

Cum vero universo utrique generi propriam vim ac naturam reddere vult, discrimen quoddam attingit, quod ad primam tantummodo speciem attinet.

Une Epistre s'escrit aux personnes absentes,
La Satyre se dit aux personnes présentes.

Ceterum, Flacci exemplo, communi *sermonum* appellatione Epistolas Satirasque nuncupat :

. . . . . Et pourroient proprement
Soubs le nom de Sermons se ranger aisément.

Cum igitur eadem sit amborum operum materia, restabat ut extraneis discriminibus ea distingueret.

V. — De levioribus poematum generibus. — *De epigrammate.* — Ex cunctis leviorum poematum generibus, quæ Valkelinus in Arte aggreditur, epigramma solum ex

(1) Lib. III.

veterum imitatione arcessitum erat. In hoc genere Sibiletus et Pelletarius diu immorati erant; ea, quæ tradiderant superiores Artium scriptores, iisdem prope verbis Valkelinus repetit :

Surtout breve et r'entrante et subtile elle soit.
Elle sent l'Heroïc et tient du Satyrique;
Toute grave et moqueuse elle enseigne et si pique.
L'Epigramme n'estant qu'un propos raccourci,
Comme une inscription courte on l'escrit aussi (1).

Hæc definitio, quæ quidem recta est, nihil sane novi affert : illud solum mirabile videri potest, quod heroicum opus epigrammata aliquando contingant; sed nemo nescit quam longe lateque epigrammaticum genus apud veteres pateret : hoc enim nomine vocabant quidquid monumento cuilibet inscribi solebat; nec dubitari potest quin eam epigrammati vim subiciat Valkelinus.

Si, recognitis omnibus poeticæ generibus, quæ in Arte definiuntur et explicantur, brevis quædam conclusio jam ducenda est, illud ante omnia manifeste patet. Valkelinum, uti decebat, gallicæ poesis imaginem effinxisse, qualem sæculi fine sese habebat : sua quidem poetæ sunt peculiaria studia, nec omnem propriæ voluntatis inclinationem, ut planius in alio capite (2) explanabitur, ex animo ac mente abdicavit; sed omnium præceptorum, quibus singula poemata subicit, nullum pæne ex Ronsardica disciplina non haustum esse clarius apparet, quam ut ultra insistere nobis opus sit.

(1) Lib. III.
(2) Cap. IV.

TERTIUM CAPUT

DE GALLICÆ POESIS APUD VALKELINUM HISTORIA

Faber, Sibiletus, Pelletarius domesticæ antiquitatis ignari et incuriosi erant : Valkelinus contra, quamvis, velut Pleiadis discipulus, mediæ ætatis opera generaque parvi æstimet, ea summa diligentia memorat et persequitur. — De veteribus Galliæ bardis. — De vernaculæ linguæ originibus. — De *rhythmi* nostrorumque versuum inventione. — De variorum generum initio. — Quid Valkelinus in effingenda gallicæ linguæ poesisque historia ab ejusdem ætatis criticis, et præsertim a Cl. Fauchetio sit mutuatus. — Domesticæ vetustatis, quantum tempora ferebant, peritissimus, quidquid alienigenæ populi, Itali imprimis, a prioribus Galliæ vatibus olim mutuati pro suo vindicabant, gentis suæ laudibus Valkelinus adjungit : lyricorum carminum, heroïcorum poematum, *rhythmi* ipsius inventionem non immerito patriis poetis attribuit. — Æquales Franciæ vates Italis vatibus opponit, inmo anteponit : de laudibus, quas iis libentius donat, aliquid decerpi profecto debet ; sed, ut judicia, quæ de Ronsardo ejusque discipulis fert, non Valkelini prudentiam dedecorant, ita domesticæ poesis notiones, quæ in Arte poetica recolligi possunt, quamvis multi sint loci, ubi tota erret via, eruditam ejus diligentiam manifeste testantur.

Ad græcæ latinæque poesis historiam jam non revertemur. De antiquorum vatum operibus non recte Valkelinus sæpius judicat : Homero Maronem anteponit ; Senecæ tragœdias multo pluris æquo æstimat, Gallisque vatibus imitandas proponit ; multa alia jam recoluimus, ubi peccat. Sed quæcumque de antiquitate æquales acceperant, percallet : Aristotelem Horatiumque penitus tenet, et, quotiens alicujus poematis præcepta tradit, non solum exempla refert ex Græcis Latinisque litteris petita, sed etiam singulorum generum fontes a prima usque origine persequitur. Eæ tamen notiones apud eum modo inveniuntur, quæ æqualium poetarum prudentiam non excederent. Quod vero gallicæ poesis initia progressusque tam diligenter repetat, summopere laudandus est, ceterisque ejusdem ætatis vatibus longe antecellere videtur.

Priores illi poetæ, quorum Artes excussimus, domesticæ antiquitatis ignari incuriosique sunt. Faber nulla prope genera, nulla nostræ poesis monumenta curat, nisi quæ novissimis mediæ ætatis temporibus communi poetarum

in consuetudine posita erant. Sibiletus patrias litteras nunquam altius repetit quam ex quarto decimo sæculo. Immo cuncta superiorum vatum carmina, præter poema de Rosa inscriptum, penitus ignorat. Duodecimi tertiique decimi sæculi heroïca commendat quidem Pelletarius, sed nihil prope tradit, quod ad hæc pertineat. Pleias autem, cum pro nihilo ducat quidquid a græca et latina poesi alienum est, omnia mediæ ætatis opera pariter aversatur. Ne Bellaius quidem excipiendus. Verum est illum in *Defensione* sic poetam hortari : « Choisis-moy quelqu'un de ces beaux vieux romans françois comme un Lancelot, un Tristan ou autres, et fais en renaistre au monde une admirable Iliade ou une laborieuse Enéide. » At ejusmodi personæ non ad priscam epicorum vatum ætatem pertinebant, sed potius ad hæc tempora quibus, omissis Caroli magni, Orlandi ceterorumque præclare gestis, fictas celebrare personas commenticiaque fabularum argumenta tractare nostri poetæ inceperant.

Oblivione igitur ac silentio jamdudum oppressa ac sepulta erant quæcumque veteres Galliæ vates ediderant, cum Arti poeticæ Valkelinus animum adjecit : quo magis ei gratulandum est, quod ex tenebris tot monumenta, domesticæ poesis propria, vindicavit. Nec modo heroïca commemorat, sed etiam cetera genera, quæ majores nostri coluerant, ex primo litterarum nostrarum initio usque ad priorem sexti decimi sæculi partem persequitur. Non ea quidem plurimi æstimat ; neque anagrammata neque ἀκρόστιχα recipit : « Ce sont fruits abortifs (1) ; » poetas hortatur ut prisca genera deserant : « De nos vieux chants royaux décharge le fardeau ; Oste moy la ballade, oste moy le rondeau (2) ; » miratur quod veteres Galliæ vates proavos nostros delectarint : « L'innocent âge De nos bons vieux gaulois estimoit le ramage De nos premiers romants.....

(1) Lib. I.
(2) *Ibid.*

un peu légèrement (1). » « Depuis longtemps encor Guillaume de Lorris, Jean de Meung Clopinel on prisoit à Paris Avec peu de raison (2). » — Sed, quamvis vernaculam antiquitatem, ut Ronsardi discipulum decet, aspernetur, quidquid de prioribus Galliæ poetis accepit, maxima diligentia memorat. Itaque, si quæcumque de avitæ vetustatis monumentis passim in tribus libris sparsa sunt ac disseminata colligemus, totius nostræ poeticæ ab remotissimis originibus usque ad æqualia sexti decimi sæculi tempora imago quædam, (vix adumbrata quidem et sæpius mendosa), effingetur.

In tertio libro de ipsis longinquiorum ætatum poetis aliquid attingit. Postquam enim Flacci exemplo docuit, quomodo silvestribus priscorum temporum hominibus vitæ viam poetæ primum monstraverint, Orpheo Amphionique veteres Galliæ bardos comparat :

Premier ainsi jadis nos Poëtes Druides,
Nos Samothes gaulois, nos Bards, nos Sarronides,
Policèrent la Gaule (3).

Quemadmodum domestica lingua nata sit et adoleverit, non recte judicat; immo Hispanorum Italorumque sermonem Gallicis ex fontibus haustum esse putat :

De nostre Cathelane ou langue Provençale
La langue d'Italie et d'Espagne est vassalle (4)...

. . . . . Tancred de Hauteville
Conduisant douze fils de la terre fertile
Mist en Pouille et Calabre un vulgaire françois (5).

In Gallicæ versificationis originibus non minus graviter peccat. Nemo enim illo tempore noverat quemadmodum

(1) Lib. II.
(2) *Ibid.*
(3) Valk. III.
(4) Valk. I.
(5) *Ibid.*

nostra versuum pangendorum ratio ex Græcorum Latinorumque metris, quamvis longe abhorreat, initium duxisset. Omnia quæ ad hanc cognationem spectant vix temporibus nostris satis explanata sunt: haud fieri poterat ut Valkelinum non fugerent. Itaque a provincialibus antiquæ Galliæ vatibus *rhythmum* sponte inventum esse, fortuito tanquam casu, arbitratur :

. . . . Alors des troubadours
Fut la rime trouvee en chantant leurs amours (1).

Jam vero diversorum generum origines diligenter persequitur :

Et quand leurs vers rimez ils mirent en estime,
Ils sonnoient, ils chantoient, ils balloient sous leur rime:
Du son se fit sonnet, du chant se fit chanson,
Et du bal la balade en diverse façon (2).

Tum docet quæ vitæ consuetudo priscis esset vatibus:

Ces trouverres alloient par toutes les provinces
Sonner, chanter, danser leurs rimes chez les princes (3).

Joculatores a poetis recte dinoscit: Normanni, ut aït,

... Faisoient de leurs faits inventer aux Trouverres
Les vers que leurs Jouglours, leurs Contours et Chanterres
Rechantoient par apres (4).

Hanc poesis nostræ ætatem Homericis temporibus non immerito comparat:

. . . . Ainsi les Grecs avoient
Des Rapsodes qui lors tous les carmes sçavoient,

(1) *Ars p.*, lib. I.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.*

D'Homère et d'Hésiode estant les secretaires,
Interprètes, conteurs des fabuleux mistères
De ces poëtes vieux (1).

Veterum poematum personas denique non ignorat:

... Nos vieux Paladins connus par tout le monde
Et les preux chevaliers de nostre Table-Ronde,
Du prophète Merlin les forts enchantemens,
Et) Turpin l'archevesque en ses racontemens...
Nostre Amadis de Gaule en vieil Picard rimé, etc. (2).

Dum vero epicum genus supra Ligeris ripam præsertim vigebat, lyrica imprimis carmina colebant Provinciæ vates. Omnia genera quæ in eorum usu posita erant novit Valkelinus et refert (3). Quorum altera per nomina tantum citare satis habet; altera autem attentius inspicit. In *sonetto* diu moratur, quo nullum poema, a Latinis vel Græcis assumptum, Valkelini tempore vehementius florebat. Priscos omnes poetas qui in hoc genere valuerunt, memorat (4). Mox vero, in posteriore mediæ ætatis parte, *sonettum* exolescit et summa denique oblivione oppressum jacet, donec Mellinus Sangelasius id ab Italis repetat et patrio Galliæ solo, proprio quasi domicilio, restituat. Nullus dehinc inter æquales poetas exstitit, qui in hoc genere non multum versatus fuerit: cunctos Valkelinus recenset, Ronsardum, cujus vox

Par dessus le Toscan sut bien se faire entendre (5)

Baïfium, qui

Fit nostre vulgaire et plus bas et plus dous (6);

---

(1) Lib. I.

(2) Lib. II.

(3) *Chanterels, servantois, tançons, pastorelles, deports, soulas, sonnets, triolets, lais, virelais, villanelles, jeux partis, sornettes*, etc.

(4) Rembaud, Foulques, Remond, Hughes, Arnaud.

(5) Lib. I.

(6) *Ibid.*

Bellaium, qui

> . . . . . quittant ceste amoureuse flamme
> Premier fit le sonnet sentir son épigramme (1).

Portæum denique, qui

> Plus que devant encore escrivit doucement (2).

Quamvis satiram Galliæ intulisse se profiteatur, non ignorat satiricum genus, quod ipse ex Horatii imitatione assumpsit, alia quadam appellatione indutum ex omni memoria in patria floruisse, nec adeo imperitus est ut nominum dissimilitudine decipiatur:

> Et comme nos François les premiers en Provence
> Du sonnet amoureux chanterent l'excelence,
> . . . . ils ont aussi chantez
> Les Satyres qu'alors ils nommoient Sirventez...
> Depuis, les coqs à l'asne à ces vers succédèrent,
> Que les rimeurs françois trop longtemps possédèrent,
> Dont Marot eut l'honneur (3). »

Jam vero ad Latinæ satiræ formam sese poetæ fingunt:

> . . . . aujourd'huy toutefois
> Le Satyre latin s'en vient estre françois (4).

Ne cantilenam quidem Valkelinus omittit. Postquam enim versibus musicen et saltationem apud nostros majores artissime conjunctas esse memoravit, priscorum temporum in hoc genere lascivia sese delectari fatetur:

> Chantant en nos festins ainsi les vau de vire
> Qui sentent le bon temps me font encore rire (5).

---

(1) Lib. I.
(2) *Ibid.*
(3) Lib. II.
(4) *Ibid.*
(5) *Ibid.*

Tum vero docet quomodo in cantilenæ locum oda suffecta sit:

Le temps qui tout polit rendit depuis polies
La grace et la douceur de ces chansons jolies...
Mais, à dire le vray, la France n'eut jamais
Un repos assez long pour jouir de la paix.
La misère toujours sa tristesse a meslée
Avec la gaillardise où elle est appelée;
Toutesfois imitant tant qu'elle peut les vieux.
Elle tient aux malheurs son courage joyeux,
Et nous a ramené de la lyre cornue
(Qui fut auparavant aux nostres inconnue)
Les chants et les accords qui vous ont contenté,
Sire, en oyant si bien un David rechanté... (1).

Quod ad dramatica mediæ ætatis opera attinet, quædam de his quoque Valkelinus scribit. *Morales* præsertim *fabulas* non modo memorat, sed etiam laudat pulchrasque esse confitetur:

Ainsi nos vieux françois usoient de leur Rebec
De la flute de bouis et du bedon avec
Quand ils représentoient leurs moralitez belles (2).

Quid inter eas ac justam tragœdiæ formam intersit, docet; deinde cunctos æquales poetas recenset, qui Gallicam scænam ad veterum imitationem vocaverant. Alias superiorum ætatum fabulas, quæ gallice « soties » vocantur, non a Valkelino omissas esse jam antea animadvertimus; ille enim in secundo libro ostendit quomodo hujus generis libertas in vitium inciderit. De *mysteriis* quidem nihil tradit; sed, cum poetas hortatur (3) ut christiana argumenta in scænam inducant, non dubitari potest quin illud mediæ ætatis genus ipse meminerit.

(1) *Ibid.*
(2) *Ibid.*
(3) V. caput quartum.

Non forsan est unde miremur si novissima superiorum temporum genera Valkelinus norit, quæ non ita pridem multis laudibus florerent. Sed mirum magis illud haberi potest, quod, remotissimas nostræ poesis linguæque origines persecutus, de plerisque rectissime judicat, et, quamvis sæpius sit ubi claudicet, in eos tamen errores non delabitur, quibus æqualium ætas decepta gallicarum rerum incunabula absurdis commentis adulteraverat. Quid enim recti de domestica vetustate non modo inveniri sed etiam inquiri poterat ab iis, qui nostræ gentis origines a Scythis et Babyloniis repeterent? Illi vero, qui rerum memoriam ex tam longinqua vetustate revolvere dubitabant, a Trojanis saltem vel etiam a Græcis Francos ortos esse facile patiebantur. Hæ autem pravæ opiniones, cum ad ipsius populi historiam, tum ad poesis sermonisque fontem pertinebant. Scythicæ, Babyloniæ, Trojanæ linguæ penitus ignaris et insolentibus grammaticis criticisque non in mentem venit domesticum sermonem inde repetere; sed aliter, non vero levius, peccabant: quinquagesimo sexto sæculi anno Perionius quidam commentationem latine scriptam ediderat, in qua francicam linguam a gallica, gallicam vero a Græca derivatam esse docebatur (1).

Quod si Valkelinus, in hanc omnium rerum perturbationem delapsus, ex tot erroribus nostrarum originum historiam non plane quidem expedivisset, sed id luminis iis attulisset, quo in Arte poetica illustrantur, nemo inter eruditissimos sæculi viros ei merito comparari posset. Sed eodem ipso tempore, quo manum operi admovebat, perversæ opiniones, quibus animi imbuti erant, jam cœperant labefactari et excidere. Franciscus Hotmanus septuagesimo secundo sæculi anno *Franco-Galliam* edit, in qua Francorum originem non jam ad Scythas vel ad Trojanos, sed ad Germanos revocat. Joannes Tilius (2) et Papyrius

(1) J. Perionii *Dialogi de linguæ gallicæ origine*, 1546.

(2) *Recueil des roys de France*, 1577.

Massonius (1) chartas, tabularia, veteres annales explorant, summaque diligentia atque industria domesticæ vetustatis imaginem restituunt. Mox ipsi poesis linguæque fontes excutiuntur. *Quæstionum de Francia* septimum octavumque librum, qui de priscarum ætatum versibus, sermone, litteris disputant, non prius quidem Pascasius emittit, quam Arti poeticæ finem Valkelinus imposuerit; sed Claudii Fauchetii *Commentatio de Francici sermonis poesisque origine* (2) multo adjumento poetæ fuit. Quamvis enim Artem aliquot jam ante annis agressus sit, quam hoc opus editum fuerit, non dubium est quin maximos inde fructus perceperit. Primus linguam nostram neque gallicam, neque græcam, ne germanicam quidem esse Fauchetius docuit. « La plupart des paroles sont tirées du latin (3). » Non modo hoc principium sibi Valkelinus adsciscit, sed etiam omnia fere, quæcumque de vetere Galliæ poesi novit, a Fauchetio, iisdem sæpe verbis, mutuatur. Bardorum cantus, quos Artis poeticæ scriptor memorat, ille jam in lumen revocaverat. « Nos vieils poetes gaulois appelez Bards chantoyent au son des instrumens les faits des hommes illustres (4). » Lyrica epicaque veterum poetarum carmina idem ex silentio et oblivione vindicaverat : « Ce fut lors que les Conteor et Jugleor, Trouverres et Chanterres, coururent par les cours de ces princes pour réciter et chanter leurs contes sans ryme, chansons et autres inventions poétiques, usans du romain rustique (5). » Quod pristinos Galliæ vates Homeristis comparat, Valkelinum probavimus : sed hoc ipsum a Fauchetio petitum non infitiandum est. « Les Trouverres venoyent aux grandes assemblées et festins donner plaisir aux princes : ce qu'an-

(1) *Annales latines*, 1577.
(2) 1581.
(3) Lib. I, cap. III.
(4) Lib. I, cap. VI.
(5) Lib. I, cap. IV.

ciennement ont fait les poëtes grecs, chantans les louanges des Dieux et des Roys, comme récite Hérodote en la vie d'Homère, les œuvres duquel ont este ainsi chantees par les cours et maisons des seigneurs pièce à pièce (1). » Quamvis tamen Fauchetium Valkelinus in nostræ linguæ poesisque historia plerumque fuerit secutus, non ei negari debet ea laus, quod in omnium opinionum certamine, ubi verum esset, ipse discrevit.

Domesticæ vetustatis, quantum tempora ferebant, peritissimus, quidquid alienigenæ populi ab prioribus Galliæ vatibus olim mutuati pro suo vindicabant, gentis suæ laudibus Valkelinus adjungit. Italicam imprimis poesim multis opibus spoliat, quibus velut propriis erat dudum gloriata. Jamdiu inter Francos Italosque summa contentio orta fuerat, utra gens, cum lingua, tum poesi, alteri præstaret. Non negari quidem potest Italicas litteras novissimis in duobus sæculis plurimum ad nostras contulisse. Ne altius quam a Francisco primo res repetamus, Itali sub hoc rege vel artifices vel poetæ Gallorum quasi magistri exstiterant. Regnante Catharina Medicæa, vehementius etiam increbruerat hæc Italorum imitatio. Non alia genera, Græcis quidem Latinisque ignota, nostri poetæ colunt, quam quæ, ut *sonettum*, in vicini populi more versantur. Immo patrio jam sermoni ab aulica juventute admiscentur seu voces seu locutiones ex transalpina consuetudine acceptæ. Quantum igitur distat ab illo tempore, quo Brunettus Latinus *Sapientiæ thesaurum* ideo gallice scripserat, quia nullus alius sermo legentium aures dulcius oblectaret !

Postquam vero recentiores sexti decimi sæculi vates gallicam linguam illustraverunt poesimque præclaris monumentis ditaverunt, sibi ipsi jam placere cœpere et ab Italorum admiratione paulatim deficere. Gloriabantur enim

(1) Lib. I, cap. VIII.

quod tantum profecerant domesticæ litteræ, ut nihil jam apud vicinam gentem esset, quod mutuari ipsi deberent. Immo sese mox hesternis magistris præferre ausi sunt. Jam Bellaius patrium sermonem defenderat, affirmaratque eum, cum illustratus fuisset, Italicæ linguæ non imparem fore. Henricus Stephanus in *Dialogis*, dum italica verba sermoni nostro adjuncta esse queritur, vicinorum opibus nostras multo anteponendas esse contendit. Omnis denique æqualium poetarum ætas, jam elata superbaque quod nullo alieno præsidio sibi deinceps opus esse credat, Italis æmulatur et de iis, quantum fieri potest, detrahit.

Quæ cum ita sint, non mirandum videtur quod Valkelinus, quotienscumque occasio sese dedit, Italorum vatum venam ex gallico fonte manavisse doceat. Pelletarius quidem jam testatus erat Ariostum ex nostratibus monumentis plurimum sibi assumpsisse (1) ; sed strictim hæc dicuntur : suum gallicæ poesi jus a Valkelino tandem restitutum esse vere dici potest.

Inter Italos poetas, Aligerio excepto, cujus fama trans Alpes minus enotuerat, Petrarca in primis et Ariostus Torquatusque Tassus, *sonettis* ille, hi vero epicis poematibus italicam poesim in summum perduxerant. Utrumque genus pro Gallia Valkelinus, ejusdem Fauchetii auctoritate fretus, non immerito vindicat. In primo libro lyrica carmina, *sonetta* præsertim, a prioribus nostris vatibus inventa esse docet :

Des Grecs et des Romains cet art renouvelé
Aux François les premiers fut ainsi révélé.
A leur exemple prist le bien disant Pétrarque
De leurs graves sonnets l'ancienne remarque....
Mais il marcha si bien par cette vieille trace
Qu'il orna le sonnet de sa première grace,

(1) ... Comme sont les avantures de chevaliers, les combats et semblables choses, desquelles l'Arioste a fait emprunt chez nous. (*Ars poet*, II. De epico poemate.)

Tant que l'Italien est estimé l'auteur
De ce dont le François est premier inventeur (1).

Paulo autem inferius :

Et ce qui fist priser Petrarque le mignon
Fut la grace des vers qu'il prist en Avignon (2),
Et Bembo reconnaît qu'ils ont pris en Sicile
La première façon de la rime gentille,
Que l'on y fut planter avecques nos romants
Quand conquise elle fut par nos Gaulois Normands (3).

Immo ex his novissimis versibus apparet ne *rhythmum* quidem ipsum Italorum vatum inventioni a Valkelino relinqui.

De epicis poematibus, Ariostum ex veteribus Gallicæ poesis monumentis quidquid ab ipso inventum creditur hausisse contendit Artis poeticæ auctor :

Et l'Arioste a pris les gestes hasardeux
De nos vieux Paladins, etc. (4).

Jam vero addit :

Nostre Amadis de Gaule en vieil Picard rimé
N'estoit moins que nos Pairs entre nous estimé :

---

(1) Qui voudra feuilleter nos vieils poètes, il trouvera dedans les mots dont les Italiens se parent le plus, voire les noms et différences de leurs rymes, sonnets, ballades, lais et autres. (Cl. Fauchetii lib. I, cap. V.) — Non absurde hæc : *Sonetto* tamen, quale a pristinis Galliæ vatibus inventum et cultum fuit, nullam pæne cognationem esse constat cum italicis ejusdem nominis poematibus.

(2) Pétrarque et ses semblables se sont aidez des plus beaux traits des chansons de Thiébaut, le Chastelain de Coucy et autres anciens poètes françois. (Fauchetii lib. I, cap. V.)

(3) Il y a grande apparence que nos François ont monstré aux autres nations d'Europe l'usage de la ryme. Joan de la Ensina confesse que la ryme est passée d'Italie en Espagne ; les Italiens sont d'accord la tenir des Provençaux ou Siciliens, deux peuples sujets des François. (Fauchetii lib. I, cap. VII). — Neque Fauchetius, neque Valkelinus noverant jam a primis Imperii romani sæculis in latinis versibus *rhythmum* sæpius usurpatum esse.

(4) Les Italiens, Espagnols, Alemans et autres ont este contraints forger leurs romans et contes fableux sur les telles quelles inventions de nos trouverres, chanterres, conteor et jugleor tant caressez par toutes les cours d'Europe pour leurs chansons de la Table ronde, Roland, Renaud et Paladins. (Fauchetii lib. I, cap. V.)

D'Amadis l'Espagnol a sa langue embellie,
Et sa langue embellit de nos Pairs l'Italie (1).

Concludit denique :

... Quand nous reprendrons ces beaux larcins connus,
De rien nous ne pouvons leur en estre tenus.

In eodem libro paulo inferius ad eadem revertitur :

Or, l'Valon estant tout le premier vulgaire,
Et l'Itale et l'Espagne ont formé l'exemplaire
Du leur sur son Roman, ayant pris pour leçons
De nos chants et sonnets les antiques façons...
Et puis, comme celuy qui de ruse maline
Derobe le cheval en l'estable voisine,
Luy fait le crin, la queue et l'oreille couper,
Et quelque temps après le revend pour tromper
A son mesme voisin, ainsi nostre langage
Ils ont pris et planté dans leur terroir sauvage,
Et l'ayant desguisé nous le revendent or
Comme fins maquignons plus cher qu'au poids de l'or.

Ex his intellegitur non modo Valkelinum ab Italis id repetere quod Gallorum est, sed etiam vicinam trans Alpes gentem arguere quod alienas opes, quibus gloriata nostram poesim tam diu dedignata est, turpi quodam furto nobis subripuerit.

Immo, italicæ poesis antiquas laudes elevare haud contentus, æquales Galliæ vates alienigenis vatibus non opponit modo sed anteponit Valkelinus. Haud profecto satis verecundus plerumque est in his laudandis. In *Satira ad Librum*, dicet ipse se, cum admodum juvenis esset, Bellaium observasse, Ronsardum autem numinis instar coluisse (2). Progrediente ætate nihil ex tanta reverentia

(1) Lib. II.

(2) Je connaissoy Baïf et Ronsard j'adoroy.

remisit. Itaque, quotiens in Arte poetici cujuslibet generis origines progressusque memorat, singulos sexti decimi sæculi poetas, qui hoc coluerunt, summis laudibus exornat. Tragicis Græciæ vatibus Garnerium antefert (1); Ronsardum vero, ne omnes recenseamus, non modo humanis, sed divinis etiam honoribus cumulat. Eum Apollinem Galliæ (2) vocat; si ad ejus *sonetta* respicias, Tuscum poema vicit (3); si ad odam, nullum in omni Europa æmulum habet (4); si ad hymnos, veteribus ipsis anteponi merito potest (5); *Francias* vero ipsa, si duodecim syllabarum versibus mandata esset, pro absoluto perfectoque opere haberetur (6).

De his laudibus plurimum decerpi profecto debet : nondum Ars poetica edita fuerat cum jam novus quidam vates, Franciscus Malherba, Valkelini amicus, omnia sexti decimi sæculi opera transverso tanquam calamo delevit, Ronsardumque ipsum ex tanto magnitudinis gloriæque fastigio ad ima præcipitavit. Sed immerita unius fastidia non magis posteri probaverunt, quam alterius modum egressa præconia. Ut judicia quæ poeta noster de æqualibus vatibus fert, quamvis magnificentius æquo eos prædicet, non tamen Valkelini prudentiam dedecorare possunt, ita domesticæ poesis notiones, quas in Arte poetica recollegimus, quamvis multi sint loci, ubi totat erret via, eruditam ejus diligentiam manifeste testantur.

(1) Lib. II.
(2) *Ibid.*
(3) Lib. I.
(4) *Ibid.*
(5) Lib. III.
(6) *Ibid.*

QUARTUM CAPUT

QUATENUS RONSARDI VESTIGIA VALKELINUS IN ARTE POETICA SERVET

Ronsardi disciplinam Valkelinus nunquam deseruit, sed ex omnibus magistri discipulis, eos voluntatis quadam inclinatione anteposuit, qui primum Ronsardicæ Musæ impetum cohibere potius quam properare tentabant. — Quænam sint inter Ronsardum et Valkelinum præcipua discrimina : illud primum notandum est, quidquid in gallica poesi vernaculis quasi radicibus innititur silentio sepeliri Valkelinum non pati : nihil in Arte invenitur, ex quo patriæ poesis perpetuum tenorem mediis sæculi annis repente interruptum esse appareat. — Quod ad sermonem attinet, reicit Poeticæ scriptor quidquid liberioris licentiæ Ronsardus sumpserat. — Eandem modestiam in ipsa versuum pangendorum arte servat. — Illud Valkelinum a Ronsardo maxime sejungit, quod ad christianam antiquitatem poetas, sive tragicos, sive epicos, revocat. — De sacra poesi in sexto decimo sæculo. — Optat Valkelinus, ut christiana argumenta christianæque personæ ad perfectam antiquæ poesis formam accommodentur. — Quamvis non eadem ex omnibus partibus sit utriusque vatis disciplina, universa tamen Artis poeticæ doctrina ratioque ex Ronsardi præceptis pendet. — Nihil ex Malherbæ institutis assumpsit sibi Valkelinus, neque in condendorum versuum arte, neque in tota sermonis disciplina. — Eum tamen, moderato ingenio remissaque indole præditum, inter Ronsardum ac Malherbam medium fuisse concedi potest, sed ea lege, ut a Ronsardo ortum esse Malherbam ipsum concedatur.

Etiamsi Valkelinus, ut paulo superius relatum est, Ronsardum summa admiratione reverentiaque cumulet atque pro duce et exemplare habeat, non tamen illius doctrinæ disciplinæque sic est addictus, ut eam per omnia temere sequatur. Quatenus magistri sui vestigia Artis poeticæ scriptor observet, jam nobis est perpendendum.

Per multos annos Artem in manibus Valkelinus habuit, antequam ederetur. Operum omnium præfationem, quæ quinto septimi decimi sæculi anno emissa sunt, his verbis orditur : « Lecteur, ce sont ici des vieilles et des nouvelles poésies : vieilles, car la plus part sont composees il y a longtemps ; nouvelles, car on n'escrit point à cette heure comme on escrivoit quand elles furent escrites. Si elles ne sont telles qu'elles doivent estre, c'est mon défaut, car de mon temps on escrivoit assez bien. » Non dubitari

potest, quin Ars poetica his poematibus adnumeranda sit, quæ ante multos annos se condidisse vates confitetur. Absolutum certe erat opus, antequam Franciscus Malherba, qui primum, ut ipse aït, Ronsardicos mores in versibus scribendis secutus fuerat, ab illius imitatione sese removisset, et, ex Provincia Lutetiam reversus, gallicas litteras ad sui ingenii effigiem fingere tentavisset. Attamen per hos viginti vel etiam triginta annos, quibus Artem poeticam Valkelinus elaboravit, multa in vicissitudinum varietate jactata erat domestica poesis. Nihil quidem ex gloria *Franciadis* scriptor amiserat; immo usque ad proximi sæculi initium ejus nomen pro Phœbi ipsius nomine haberi non desiit, nullaque ætas unquam de Ronsardi laudibus tacitura esse videbatur. At, quamvis Bolæum graviter errare constet, cum ideo Bertaltum Portæumque modestiores fuisse contendit, quia iis Ronsardicæ disciplinæ ruina documento fuerat, primo tamen poetarum proventui, qui novarum rerum auctores exstiterant, nova quædam ætas paulatim accreverat, iisdem prope studiis imbuta et ad Pleiadis ducem velut ad magistrum conversa, quæ vero recentiore quasi nota gallicam poesim signavit. Alteri, sicut Bartassius, Ronsardicæ amplitudinis ac sublimitatis modum excesserunt tumidumque dicendi genus sunt consectati, Vasconicis auribus aptissimum; alteri contra, cum tantam ingenii vim non haberent et mitiore indole essent præditi, magistri et vitia et virtutes attenuaverunt.

Nobis Valkelini Artem excutientibus, sive ad præcepta doctrinamque, sive ad scribendi rationem et pangendorum versuum artem respiciamus, eum apparebit Ronsardi quidem disciplinam nunquam deseruisse, sed quidquid apud gallici Parnassi principem audacius liberiusque esset, cum in poetica minus probavisse, tum in dicendi genere multis condimentis mitigavisse, et ex omnibus magistri discipulis eos voluntatis quadam inclinatione anteposuisse,

qui primum Ronsardicæ Musæ impetum cohibere potius quam urgere ac properare tentabant. Certant critici quatenus Pleiadis vestigia Valkelinus sit secutus. Alteri Artem poeticam quasi quoddam Ronsardi ipsius testamentum esse putant, cui mortui paulo ante vatis voluntates religiosissime mandatæ sunt : quod quidem judicium, quamvis in summa rectum esse fateamur, tamen, si nihil ex eo remittere liceat, non satis laxamenti habere nobis videtur. Alteri contra (1) contendunt Malherbæ Bolæique officia a Valkelino anticipata esse, et, quanquam summis laudibus Ronsardum cumulet, eas potius religioni cuidam attribuisse, quam sincera fide et ex animo quid de illo sentiret exprompsisse : nihil aliud, si iis creditur, Ars poetica est, nisi tropæum ex triumphata Pleiade relatum. Neutra quidem sententia plane probabilis nobis videtur ; illa vero propius quam hæc ad veritatem accedit.

Multa tamen sunt, ex quibus pateat nonnihil discriminis inter Valkelini Ronsardique disciplinam interesse. Illud primum animadvertendum est, Valkelinum, quamvis priscarum ætatum genera operaque minimi facere soleat, non tamen ea omnino rejecisse. Immo *moralibus* prioris scænæ *fabulis*, festivis majorum cantilenis laudes quasdam, ut supra relatum est, libenter tribuit. Ipsa autem diligentia, qua mediæ ætatis monumenta persequitur ac colligit, non eum esse ostendit Valkelinum, qui, velut Ronsardus primique ejus discipuli, quidquid in gallica poesi vernaculis tanquam radicibus innititur, omni oblivione silentioque sepeliri velit. Non dubitandum est, quin Ars poetica, si, aliquot ante annos, a quolibet Pleiadis poeta composita esset, nullam domesticæ vetustatis curam habuisset, et quidquid græcarum latinarumque litterarum lumine caruisset, penitus exstinguere esset conata. Valkelinus contra nusquam committit, ut a media ætate recentiorem poesis nostræ

(1) Genty. *Artis poeticæ præfatio.*

disciplinam sejungat. Singulorum generum quæ Ronsardus ejusque amici a veteribus assumpserant, patrias semper origines persequitur : tragœdiam ad *morales fabulas*, odam ad cantilenas, epicum opus ad vetera gallorum vatum poemata revocat. Græciæ quidem Romæque vates pro magistris ducit, sed non arbitratur mediæ ætatis nullam habendam esse rationem. Nihil in Arte invenitur, ex quo patriæ poesis perpetuum tenorem mediis sæculi annis repente interruptum esse appareat.

Quod ad sermonem attinet, non modo hos Ronsardi discipulos, qui in scribendi genere nihil pensi aut moderati habebant, Valkelinus increpat, sed etiam reicit quidquid liberioris licentiæ Ronsardus ipse sumpserat. In secundo libro, cum dulce quoddam et enucleatum scribendi genus commendavit, adversus poetas invehitur qui insolentibus odiosisque verbis domesticum sermonem vitiabant :

> Et ne faut recevoir la jeunesse hardie
> A faire ainsi des mots nouveaux à l'estourdie,
> Amenant de Gascogne ou de Languedouy,
> D'Albigeois, de Provence, un langage inouy,
> Et comme un du Monin faire une parlerie
> Qui nouvelle ne sert que d'une moquerie.

Illa vero jam addit :

> Ceux qui cherchent des mots empoulez et bouffis
> Et des discours obscurs qui ne sont point confis
> Dans le sucre françois, font une faute telle
> Que ceux qui vont quitant une fontaine belle
> Pour puiser de l'eau verte en un palu fangeux.

Ad audaciores Ronsardi discipulos hæc et talia spectant, qui nescio quam undique commixtam vocabulorum farraginem adsciverant ; sed ad Ronsardum ipsum aliqua ex parte transferri merito possunt, qui, quanquam hac licentia modestius usus erat, signum tamen exemplumque princeps

dederat. In tertio libro Valkelinus eos deridet, qui in domesticam dicendi consuetudinem latinas voces nullo discrimine importabant, quasi his adventiciis mercibus nostram linguam ditarent, potius quam perturbarent et adulterarent. Hanc quoque licentiam prudenter Ronsardus sibi sumpserat; sed non infitiandum est nonnullos ejus discipulos hanc verecundiam haud imitatos esse; hos reprehendit Valkelinus, qui

. . . . veulent prendre
Le latin à la barbe et vulgaire le rendre (1).

Quamvis omnia prope Ronsardi de illustranda lingua præcepta sibi adsciverit, est tamen in Ronsardica dicendi ratione, qualis saltem in pindaricis præsertim odis incohata erat, nonnihil asperi et ardui, quod ab facili mitique Valkelini ingenio abhorret. Non enim ignorat linguam, ex quo Bellaius *Defensionem* edidit, haud unam eandemque per tot annos permansisse :

Car depuis quarante ans desja quatre ou cinq fois
La façon a changé de parler en françois (2).

Portæi autem sermonem, ut dulciorem liquidioremque, plurimi facit. Postquam, in primo libro, cunctos æquales poetas, qui *sonettorum* genus coluerant, ordine recensuit, hæc adicit :

Desportes, d'Apolon ayant l'ame remplie,
Alors que nostre langue estoit plus accomplie,
Reprenant les sonnets, d'art et de jugement
Plusque devant encore escrivit doucement.

Hanc sermonis suavitatem sectatur Valkelinus, eamque potius a Portæo quam a Ronsardo prioribusque ejus discipulis effictam et expressam esse arbitratur.

---

(1) *Ars poet.*, lib. III.
(2) *Satires.*

De tota pangendorum versuum ratione, Ronsardi consuetudinem, ut inferius paulo apparebit, Valkelinus imitatur. Sed, cum alii magistri nomine exemploque abuterentur, audaciorem ipse licentiam cavet. Sexti decimi sæculi poetæ, non contenti quod veterum genera sermonemque mutuabantur, gallicos versus, ut antea dictum est, ad græcam latinamque prosodiam accommodare tentaverant. Immo, si Agrippæ Albinio creditur, jam ante sextum decimum sæculum versus istiusmodi conditi erant; ille enim *Iliadem* et *Odysseam* in hexametros a Mosseto quodam, quinti decimi sæculi postremis annis, translatas se ipse vidisse affirmat (1). Quam quidem inveterati moris repentinam mutationem Sibiletus non probat, Bellaïus vero (2) recipere videtur. Quinquagesimo tertio sæculi anno disticha Jodellius componit. Tribus post annis, Pascasius, auctore Ramo, elegiam ejusmodi versibus mandat. Paulo post (3), Jacobus a Talia de versibus græco latinoque more pangendis commentationem (4) edit, in qua tanta *rhythmorum* satietate se captum esse confitetur, ut aliam viam ad Parnassum sibi aperuerit, a Græcis tantummodo Latinisque jam antea tritam. Sexagesimo sæculi anno novum hoc carminum genus adsciscit Baïfius, quippe qui poesim cum musica artioribus quibusdam vinculis conjungendam censeat. Doctissimi prudentissimique viri hanc versuum rationem accepere: Rapinus, Sammarthanus, Passeratius, multique alii, quorum nomina referre non interest, Baïfii exemplum vel secuti sunt vel saltem laudavere. Ronsardus ipse, ab ejusdem generis carminibus minime alienus, duas odas Saphico more composuit, in quibus syllabarum prosodiam, non omisso *rhythmo*, observat (5). Quamvis Valke-

(1) *Petites œuvres meslees du sieur d'Aubigné.* Genève. 1630.

(2) *Deffense et illustration,* etc.; II, 7.

(3) 1562.

(4) *La manière de faire des vers en françois comme en grec et en latin.*

(5) Primus qui istiusmodi versus fecerat, Claudius quidam Butetus, si Pascasio creditur, fuit. (*Quæst. de Francia,* lib. VII, cap. XII, fol. 652.)

linus ab omni novitate abhorrere soleat, non tamen fieri potest, ut ea funditus repudiet, quæ tot celeberrimi vates eruditissimique Galliæ judices probavere. Itaque non ausus quid sentiat aperte ac plane confiteri, ad posteros ab æqualibus appellat :

> Je ne sçay si ces vers auront authorité :
> C'est à toy d'en juger, sage Postérité (1).

Sed non tantum latet sub his involucris intima ejus opinio, ut versibus veterum more factis favisse existimetur. Posteri vero, ad quos appellat, de his, quanquam iterum ac sæpius recrudescere tentaverunt, eadem, quæ ipse, sensere. Non hic locus est disserendi cur a Latina consuetudine abhorreant nostri versus. Ipse Jacobus a Talia in commentatione hæc scribit : « Nostre parler vulgaire n'est pas propre ny capable à recevoir des nombres et des pieds. » Valkelinus quidem nullam sententiæ suæ causam affert : ei tamen gratulandum est quod domesticam poesim ab audacissimis eorum impetibus defendit, qui ipsam vatum linguam quasi incudi reddere volebant et ad veterum imitationem fingere. Non aliter de versibus Latinorum ritu conditis videtur ipse sentire, quam Pascasius, qui hos poeticis lusibus adnumerat (2). Prudentissimus cautissimusque Ronsardi discipulus, nihil admittere solet, etiamsi magistri vestigia sint deserenda, quod insolentius et inconsideratius videatur.

Illud vero Valkelinum a Ronsardo ac plerisque ejus discipulis maxime sejungit, quod gallico Parnasso omnes Græciæ Romæque deos expellere vult, et ad christiana argumenta tragicos præsertimque epicos vates revocare. Cum recentiores sexti decimi sæculi poetæ ad veterum imitationem totos se fingerent, non modo poesis tanquam supellectilem ab iis arcessivere, sed etiam, eorum cultu

(1) Lib. II.
(2) Op. cit., lib. VII, cap. XIII, fol. 656.

moribusque imbuti, christianæ antiquitatis pæne omnem sensum ex animis paulatim amiserunt. Parum erat quod Græcorum Romanorumque numina gallicæ poesi Ronsardus immiscuerat; jam fere omnes poetæ Musis Phœboque sese addicebant, obliviscique videbantur quam multa ex sacris veræ religionis fontibus hauriri possent, unde vatum ingenium aleretur et divino quodam spiritu afflaretur. Catholicæ quidem fidei observantiam retinebant: multi ex his eam sive scribendo, sive etiam pugnando defenderunt; immo quidam ad summas Ecclesiæ dignitates evecti sunt. Attamen paganæ antiquitatis nescio quis odor et color in iis ipsis manifestus est, qui aut abbates aut episcopi exstiterunt. In carmine quod *Urania* inscribitur et in poematum præfatione jam invectus erat Bartassius in æquales poetas qui christianæ religionis monumentis absurdas de fictis numinibus fabulas sufficere audebant; ipse autem ex mediis christianæ fidei visceribus operum argumenta petierat. Dum vero Dei quasi nomine ille reclamat, non modo religionis causam Valkelinus agit, sed etiam ad poesis dignitatem respicit. Non quidem deorum nomina ex carminibus depellere vult; ipse contra Phœbi, Martis, Jovis vocabula per metaphoram usurpat; at poetas hortatur, ut paganica argumenta et heroïcarum ætatum fabulas personasque deserant. Jam in Epistulis quibusdam aliqua indicia deprehendi possunt, unde prænuntietur hic Valkelini ad christianam poesim recursus. Multi vero in Arte poetica loci sunt, in quibus, quid de hoc sentiat, plane expromit. In primo libro odiosi aliquid ipsis deorum nominibus inesse declarat, si poetæ sæpius iis abutantur:

> Aussi bien en ce temps ouïr parler des dieux
> En une poésie est souvent odieux ;
> Des siècles les retours et les saisons changees
> Souvent sous d'autres loix ont les Muses rangees.

In tertio libro optat, ut nullam deinceps materiem Gallus

quisquam poeta sumat, quæ ad christianam religionem non pertineat :

> Pleust au ciel que tout bon, tout chretien et tout saint
> Le François ne prist plus de sujet qui fust feint!
> Les anges à miliers, les âmes eternelles
> Descendroient pour ouïr ses chansons immortelles!

Tertii denique libri fine, Græcorum ipsorum, qui domesticas ipsi fabulas celebraverunt, exemplo et auctoritate se non immerito tuetur :

> Si les Grecs comme vous Chrestiens eussent escrit,
> Ils eussent les hauts faits chanté de Jésus-Christ.
> Doncques à les chanter ores je vous invite...

Jam vero poetas æquales compellat præsertimque amicum Portæum :

> Desportes, que ta Muse à Dieu toute tournee
> Ne soit des vers d'Amour désormais prophanee!

Hebdomadem Bartassius jam, ut supra dictum est, composuerat, in qua Dei opera summa carminum magnificentia celebrat. Non multo post Ronsardus poema *de Lege* incohavit, cujus triginta tantummodo versus usque ad nos pervenerunt. Valkelino igitur, qui magnum ejusdem generis opus de Davidis præclare factis orsus erat, magistri ipsius exemplum præ se ferre licuisset. Sed nullam ob aliam causam Ronsardus sacri carminis argumentum aggressus erat, nisi ut pæne incredibilem æmuli Bartassii gloriam obscuraret; et, quamvis octogesimo secundo sæculi anno christianorum poematum corpus quoddam, cui titulus *Musa christiana*, ex præclarissimis æqualium vatum operibus excerptum esset, quasi prophanæ lasciviæ non semper se indulsisse catholici poetæ testari voluissent, vere tamen dici potest ad græcæ antiquitatis deos, heroas, fabulasque potius quam ad christianam religionem, lyricam epicamque illius ætatis poesim pertinere.

Quod vero ad tragœdiam spectat, argumenta ex sacris historiis petita nunquam poetæ omnino deseruerant. Quadragesimo sæculi anno Buchananus in Burdigalæ collegio duas docuit fabulas, quæ, quamvis ad imitationem græcæ scænæ accommodatæ essent, ex Scriptura tamen materiam hauserant; una enim *Joannes Baptistus,* altera autem *Jephte* inscripta erat. Undecim post annis, Theodorus Beza *mysterium* quoddam, in Lausannæ Universitate, scænæ mandavit, cui titulus *Abrahamus.* Jodellius quidem, justæ legitimæque tragœdiæ parens, non jam ex christianæ religionis monumentis argumenta petiit, sed ex græca latinaque antiquitate. At quindecim post annis, quam *Cleopatram* ipse docuerat, tres tragœdias Masurius composuit, quæ *David pugnans, fugiens, victor* inscriptæ sunt. Eodem fere tempore Florens Christianus Buchanani tragœdiam gallice vertit. Septuagesimo secundo sæculi anno, Jacobus a Talia fabulam docet, cui *Saül furiosus* titulus est, et, in commentatione, quam in prima operis fronte præposuit, argumenta ex sacris historiis hausta valde commendat. Octo post annis Garnerius *Sedeciam* theatro committit. In primis denique proximi sæculi temporibus, Antonius a Monte christiano *Davidem,* sive *Adulterum*, et *Amanum,* sive *Vanitatem,* scænæ mandat.

Ceterum, Græcæ Latinæque tragœdiæ imitatio, qualem effinxerat Jodellius, dramatica mediæ ætatis genera non penitus exstinxerat. Pervenit ad nos fabula quædam de Caïno a Thoma Gallo, octogesimo sæculi anno, composita, quæ, quamvis tragœdiæ titulum ferat, nihil aliud est, nisi *mysterium.* Normannia provincia, in qua natus erat Valkelinus et totam ætatem egit, christianarum fabularum studiosissima tunc etiam permanserat, postquam græcæ latinæque vetustatis personæ scænam nostram jam invaserant; nec dubitari potest, quin poeta *mysteriis* agendis sæpius interfuerit.

Non tamen ejus generis formam retinere velit : veterum

enim amantior est, quam ut domesticos vates græcorum romanorumque rationi gallica poemata non aptare jubeat. Sed illud optat, ut christiana argumenta christianæque personæ ad perfectam antiquæ tragœdiæ effigiem accommodentur :

> He ! quel plaisir seroit-ce a cette heure de voir
> Nos poètes chrestiens les façons recevoir
> Du tragique ancien, et voir a nos misteres
> Les payens asservis sous les loix salutaires
> De nos saints et martyrs, et du vieux testament
> Voir une tragedie extraite proprement ! (1)

Jam vero multa indicat ipse argumenta, quæ poetæ, vel ex Scriptura, vel ex christianarum rerum antiqua memoria, haurire possunt :

> Au lieu d'une Andromede au rocher attachee
> Un saint Georges venir bien armé, bien monté,
> La lance a son arrest, l'epee a son costé,
> Assaillir le dragon qui venoit effroyable
> Goulument devorer la pucelle agreable....
> O belle catastrophe !..,
> Ou voir un Abraham, sa foy, l'ange et son fils,
> Voir Joseph retrouvé ! les peuples deconfis
> Par le pasteur guerrier, qui, vainqueur d'une fonde,
> Montre de Dieu les faits admirables au monde ! (2).

Non is fuit Franciæ tragœdiæ cursus, quem Valkelinus optaverat. Nostri enim poetæ magis atque magis a christianis argumentis abhorruerunt ; vel, quotiens fabulam aliquam ex sacris historiis haurire voluerunt, in spectatorum fastidia plerumque incidere. Cornelii *Polyeuctus* minimum apud doctissima elegantissimaque septimi decimi sæculi

(1) Lib. III.
(2) *Ibid.*

ingenia valuit. Racinii *Esther* publicæ scænæ non mandata est; *Athaliæ* vero excellentiæ sublimitatique admiratio hominum serius respondit. De epicis poematibus item uti de tragœdiis. Non defuere quidem poetæ, vel in XVII sæculo, qui christiana argumenta tractarent; sed, sive parum ingenio ii valerent, sive hujus generis opera nullam apud legentes gratiam haberent, tædium plerumque vel etiam risus christianum epos movit; et, quamvis in Italia, in Anglia, multis laudibus idem genus jam floruisset, nullum ei in Francia domicilium Bolæus relinqui passus est, gallicoque Parnasso, quem Ronsardus cunctis Olympi numinibus dudum consecraverat, quidquid ad christianam religionem pertinebat, in perpetuum exclusit.

Omnia jam persecuti sumus, quæcumque Valkelinum vel a Ronsardo, vel sæpius ab audacioribus Ronsardi discipulis sejungere videntur. Sed non est dubium, quin universa Artis poeticæ ratio ac disciplina ex ipsius Ronsardi præceptis institutisque pendeat : quod quidem satis ex iis apparet, quæ in superioribus capitibus disserta sunt. Pauca tamen de Valkelini sermone versuumque pangendorum artificio nobis sunt addenda.

Quamvis quinto septimi decimi sæculi anno Ars edita sit, nihil tamen ex Malherbæ disciplina arcessivisse Valkelinus videtur; ipsa præfationis verba, quæ supra rettulimus, satis per se argumento sunt. Illud vero iterum ac sæpius affirmandum est, ipsum Ronsardum Malherbæ viam ostendisse. Quanquam enim superiores poetas summa contemptione hic prosequitur asperrimisque conviciis sæpe urget, Ronsardi discipulus utique haberi debet. Hæc ei gloria, quæ satis magna est, tribuenda, quod in gallica poesi, qualem Pleias informaverat, quidquid rectum legitimumque ipsi videbatur, prudenti subtilique ingenio præditus, selegit, et poetarum venam liberiore lascivia inter-

dum corruptam ad sanitatem revocavit. Multum quidem Ronsardo ademit, nihil prope addidit.

Quidquid autem correxit et emendavit, ad grammaticam præsertim et ad versificationem pertinet. Valkelini vero neque in sermone neque in versibus est aliquid, quod Malherbæ severitatem præsignificare videatur. Interdicit hic poetis hiatu; sententiam ex versu uno in alterius initium transilire vetat; nullum carmen recipit, in quo hemistichii cæsura sensum ipsum non suspensum teneat; nullum probat *rhythmum,* qui teretissimis auribus non aptus sit oculorumque ipsorum artissimæ religioni non serviat; omnem denique verborum inversionem ex poetico sermone excludit. Nullam autem ex his legibus a Valkelino servatam esse vere dici potest.

Etiamsi totum nostri poetæ opus in duas partes dividi oporteret, quarum altera Ronsardi imitationi concederetur, altera vero, Satiræ scilicet et Ars poetica, a magistri vestigiis paululum declinaret, non dubium est, quin hæc ipsa ad meram Ronsardi disciplinam pertineat. Hiatus mittamus, quos nusquam cavit : sæpissime in ipsa Arte fit ut sensus, quem proximus versus usque ad finem non perduxit, in primas alterius carminis syllabas relabatur. Innumera sunt exempla :

S'il marche dedaigneux par dessus les plançons
Des aires (Lib. I)
. . . . Et s'Homere il seconde
En age (Lib. I).
Le jardinier fasché de voir les pieds superbes
De ce hautain (Lib. II).

Hemistichii cæsuræ nihil fixi certique est, quominus una qualibet ex omnibus versus syllabis insideat :

En recompence il fait memoire de Rembaud (Lib. I).
Mais depuis ils se sont polis à l'avantage (Lib. II).
Lucile a Rome mist la nouvelle en lumiere (Lib. II).

Rhythmorum quidem Valkelinus non incuriosus est, sed tamen licentiam aliquando sumit, quæ, quanquam apud amicum, Malherbæ indignationem profecto movisset. Verborum denique inversiones, quas Ronsardus in sermonem poeticum princeps induxerat, in Arte creberrimæ occurrunt :

Pour un si grand ouvrage en françois accomplir (I).
Autrement Apolon ne guidant point nos pas
Monter au double mont ne nous souffriroit pas (I).
Et truchemens des dieux beaucoup les appeloient (I).
Les autres plus legers les actions legeres
Imitoient des premiers (I).
Par ci par la meslé rien icy tu ne lis (I).

Quod ad linguam attinet, ex qua tot vocabula Malherba expulit, fatendum quidem est non eodem scribendi colore Artem poeticam imbui, quo pastoralia adulescentis Valkelini poemata. Quidquid nimis ardui in primis Ronsardi carminibus erat, poeta noster, ut jam dictum est, maturis præcipue in annis, cavit : lenior et mitior, senecta accedente, factus est. Sed tamen eadem prope de lingua ipsa, quæ Pleias, sentit. Inveniuntur in Arte poetica et propagines (1) et diminutiva verba (2) et composita græco more epitheta (3) et omnia denique Ronsardici sermonis quasi instrumenta.

Cum nulla de versificatione præcepta Valkelinus tradat, exempla, quæ omnia prope illi Ronsardoque communia esse ostenderent, ex ejus Arte hausimus. Nunc vero locus ex hac excerpendus, in quo, quid de tota sermonis ratione judicet, Valkelinus fuse lateque expromit. Nihil

(1) Halener (lib. I), flûter une chanson (*ibid.*), etc.

(2) Nouvelet, verdelet (lib. II), fleurettes, vermeillettes (lib. III), etc.

(3) Doux-bellans agneaux (lib. I), Satyre pied-de-bouc (lib. II), etc.

autem scribit, quod ad Ronsardi doctrinam non plane respondere videatur :

Tu peux feindre des mots dont on n'a point usé,
Et puis les mots nouveaux que les nostres inventent,
Qui de l'italien la langue representent,
Ou qui sont du milieu de la Grece amenez,
Seront receus, pourvu qu'avec propre matiere
La France rarement en soit faite héritière,
Et tous les mots qui sont proprement Françoisez
Et tous ceux qui ne sont du françois desguisez,
Et les vieux composez desquels tousjours en France
On usoit à l'égal de la grecque éloquence (1).

In hoc Artis poeticæ loco morari non necesse est : eadem fere sunt, quæ apud Pelletarium jam invenimus; nullum Valkelinus illustrandæ linguæ modum omittit, quem Ronsardus Bellaiusque commendaverint. Poetas denique eorum exemplo hortatur, ut ex variis omnibus dialectis verba petant :

L'idiome norman, l'angevin, le manceau,
Le françois, le picard, le poli tourangeau,
Aprens, comme les mots de tous arts mécaniques,
Pour en orner apres tes phrases poetiques (2).

Jam quidem in aliquo secundi libri loco, quem supra rettulimus, invectus erat Valkelinus adversus hos vates, qui ex cunctis Galliæ provinciis insolentia vocabula in linguam inferre tentabant : sed non a se ipse dissentit; hæ enim criminationes ad primam Ronsardici sermonis asperitatem præsertimque ad audaciores magistri discipulos spectant, ex quibus unius, Edoardi Moninii, nomen et exemplum citantur. Gallicum sermonem, non fortasse qualem Ron-

(1) Lib. I.
(2) *Ibid.*

sardus primum informaverat, at certe qualem et Ronsardus ipse et quidam ejus discipuli, Portæus imprimis, emendaverant, ad summum pervenisse arbitratur :

La France aussi..... son langage haussa,
Prenant de son roman la langue delaissee
Et denouant le nœud qui la tenoit pressee,
S'eslargit tellement qu'elle peut a son choix
Exprimer toute chose en son naïf françois,

Nihil igitur in Artis poeticae præceptis, judiciis, sermone ipso ac versificatione, unde Valkelinum Malherbæ quasi socium fuisse concludi possit; vel potius septimi decimi sæculi vatibus ipsum viam ostendisse confitendum est, sed eodem fere pacto ac Ronsardus, aut, si melius placet, Portæeus, cujus, æque ac Ronsardi, exemplaria acerbissima censura vel etiam vehementissimis contumeliis Malherba onerat. Non interest Valkelinum Malherbæ amicum et familiarem exstitisse, immo ad eum unam ex suis satiris scripsisse : nihil commune est inter amœnum, liberale, mite illius ingenium hujusque severitatem, austerum judicium, superbissima denique fastidia. Sed a superioribus poetis Malherbam plus æquo Bolaeus in Arte poetica discrevit : non est intervallum tantum. Valkelinum autem, moderato ingenio remissaque indole poetam, inter Ronsardum ac Malherbum medium fuisse concedi potest, sed ea lege, ut a Ronsardo ortum esse Malherbam ipsum concedatur.

QUINTUM CAPUT

VALKELINUS ET BOLÆUS INTER SE CONFERUNTUR

Nihil Bolæus a Valkelino mutuatus est : ab illo superioris vatis poeticam ne lectam esse quidem pro certo haberi potest. — Utriusque Artis conferuntur ordo, forma, disciplina : Bolæi partitio, quamvis non satis justam intimarum rerum rationem ducat, vagæ et incompositæ Valkelini licentiæ longe anteponenda est.— Illius poema, multo gravius ac pressius, nihil laxamenti severis didactici generis legibus concedit ; in Valkelini autem opere nitidus quidam color familiarisque licentia laudari possunt, quamvis ille non satis sanus esse, hæc vero ultra modum lascivire soleat. — De summa poesis disciplina non multum poetæ nostro Bolæus adjecit, nisi quia, singulorum poematum leges certius expressiusque describendo, vatum ingenium angustioribus aliquando spatiis inclusit ; illa fuit præcipua Bolæi gloria, quod francicæ poesi rationem ipsam pro firmissimo fundamento supposuit. — Pauca de utriusque vatis sermone ac versuum pangendorum arte disseruntur. — Ne illud quidem obliviscendum, nullam pæne auctoritatem Valkelini poeticæ fuisse : Bolæi vero Ars suprema quasi poesis norma, ut edita est, ab omnibus poetis criticisque judicata fuit, et nunc etiam summo in honore habetur.

Valkelinus sæculi sui lasciviam ac tumultum præ se fert ; sed in omnium rerum certamine ac controversia ii jam fructus nati sunt, quos felicioris ætatis poetæ olim decerpent.

Continuus est a Ronsardo ad Malherbam, a Malherba ad Bolæum gallicæ poesis tenor. Vere dici potest Valkelini Arte ipsius Bolæi Artem quasi anticipatam esse. Immo critici quidam contenderunt plurima Bolæum a Valkelino mutuatum fuisse, eumque accusaverunt, quod nullam superioris poetæ mentionem fecit. Nullum vero argumentum afferunt, unde Bolæus ab hoc aliquid hausisse manifeste appareat ; duorum enim vel trium versuum cognatio quædam non tantam vim habere potest, ut septimi decimi sæculi poeta et furti et ingrati animi crimen merito subeat. De Vergilio hoc Valkelinus scripserat :

Nul ne peut en sa langue atteindre à sa hauteur (1).

Bolæus vero primi libri initio :

. . . . Un téméraire auteur
Pense de l'art des vers atteindre la hauteur.

---

(1) Lib. I.

De scænæ disciplina hæc Valkelinus :

> Le theatre jamais ne doit estre rempli
> D'un argument plus long que d'un jour accompli (1).

Illa autem Bolæus :

> Qu'en un lieu, qu'en un jour, un seul fait accompli
> Tienne jusqu'à la fin le théâtre rempli (2).

Ambo hæc exempla, præter quæ nullum aliud, alicujus saltem momenti, referri potest, non ad id valere arbitramur, ut Bolæus Valkelinum vel imitari, vel etiam nosse credatur : tota enim versantur in locutione quadam, quam sibi unice Valkelinum arrogare absurdum esset, et in duobus *rhythmis*, quibus nihil tam exquisiti reconditique inest, ut eos Bolæus sponte invenire non potuerit. Quod vero ad locos attinet, in quibus eædem prope sententiæ diversis verbis ab utroque vate expromuntur, crebros quidem eos esse non infitiandum est; sed illud ex his tantum inferri debet, non Valkelino Bolæum, sed Horatio et Bolæum et Valkelinum obsecutos esse. Alii tamen loci referri possunt, in quibus ambo, quamvis Flaccum non imitentur, eadem pæne disserunt. Primi libri initio, ut unum saltem exemplum proferamus, Bolæus suum cuique vati genus assignat, et omnes omnia non tentare posse docet (3): quod quidem Valkelinus in primo quoque libro jam scripserat :

> Des poètes ainsi l'un fait, etc.

Nihil vero mirandum est, quod duobus Artium scriptoribus eadem aliquando occurrant. Ut ipse aït Valkelinus,

> Qui va mesme chemin et fait mesme voyage
> Quelquefois se rencontre en un mesme passage (4).

Ceterum, etiamsi ab ingrati animi crimine sui Bolæum

(1) Lib. II.
(2) Lib. III.
(3) A tertio decimo versu usque ad vicesimum septimum.
(4) Lib. I.

mores non vindicarent, illud profecto non modo nihil a Valkelino hunc excepisse, sed ejus Artem ne novisse quidem ostendit, quod domesticæ mediam per ætatem poesis historiam penitus ignorat, minimam vero et pravissimam sæpius sexti decimi sæculi notionem habet. Fieri quidem potuisset, ut, etiamsi Valkelini opus legisset, non tamen poesim nostram altius quam a Villone repeteret; sed quamvis omnia, quæcumque ante Malherbam nostri poetæ, præter Villonem ac Marotum, composuerant, nullius esse pretii ratus, non saltem in poesis historia tam graviter aut tam sæpe peccavisset. Quomodo enim credi possit Valkelini Artem Bolæo notam fuisse, cum nostros majores a theatro abhorruisse, vel *mysteria* a « peregrinis » (1) quibusdam acta esse doceat? Ceteros errores, in quos delabitur, arguere non opus est: tanta superiorum ætatum imperitia non intellegeretur, si Valkelini penitus insolens et ignarus Bolæus non fuisset.

Sed amborum Artes poeticæ jam comparandæ: quarum ordinem primum ac dispositionem perpendemus; deinde tota utriusque operis forma, tum universa disciplina conferentur; pauca denique de poetico sermone ac versuum pangendorum ratione dicenda erunt.

De ordine in Valkelini Arte aliquid jam attigimus. Quod poeta ille, qui multis naturæ muneribus instructus ornatusque erat, in summam hominum oblivionem tam cito venit, nulla manifestior causa est, quam quia, velut artifex de quo Flaccus et ipse noster meminerunt, totum ponendi nescius operisque summa infelix, nihil prope unquam, nisi incompositum ac confusum, condidit. Bolæus contra ordine ac via procedit. Haud negandum quidem est ejus divisionem, quæ nec poesis historia, neque naturali quorundam generum inter se cognatione nititur, non satis ad veritatem accedere et ex poetæ arbitrio sæpius pendere. Non bene

(1) Pèlerins.

apparet causa, cur minora separatim genera in alio libro, majora autem in alio tractet, cur prius illa quam hæc omnino attingat, cur in eodem libro tragœdiam ante epicum carmen aggrediatur. Itaque vere dici potest nullam aliam legem a Bolæo servatam esse, nisi eam, cujus gratia suam cuique operis libro propriam materiem tribuere liceret. Sed tamen partitioni Artis poeticæ, quamvis mendosi fictique quicquam in se habere possit videri, ea saltem virtus est, ut nihil confusum esse sinat. Primo in libro poetis consilia dat, quæ ad universam scribendi rationem pertinent; secundus minora, majora autem poesis genera tertius pertractat; quartus denique ad vatum mores præsertim spectat: ordinatim hæc distributa satis apparet. Multum in hoc inter Valkelinum et Bolæum interest; ille temere vagatur nullique legi se ipse adstringit; epicum poema in primo libro definit, præcepta vero ad idem pertinentia in secundo tradit; secundi initio tragœdiæ leges, fine historiam docet, in tertio autem summam tragici generis rationem ac figuram effingit: Ars ejus poetica in omnium rerum promiscuitate versatur. Bolæus in istius modi vitia nunquam delapsus est: cuique poemati proprium locum assignat, nunquam eandem viam remetitur, nunquam in alio libro proximi libri materiam anticipat. Itaque totius operis ordinem, quanquam non satis justam intimarum rerum rationem ducit, vagæ et incompositæ Valkelini licentiæ longe anteponendum vix dicere opus est.

Si utriusque Artis naturam et quasi figuram perpendimus, quanto Valkelinum Bolæus antecellat, confitendum utique ante omnia. Hujus poema multo gravius pressiusque nemo non prima specie videt. Cum vero id per se manifestum sit, venia nobis concedatur, ut has apud sexti decimi sæculi poetam virtutes prædicemus, quas Bolæo severior didactici operis forma, cui se ipse subjecit, non concedere poterat. Hujus poemati ut codicis gravitas, ita rigor sæpius inest. Longe abest Bolæus ab Horatii grata familiaritate,

multo longius a Valkelini verbosa diffusaque licentia, quæ tamen suam ipsa jucunditatem aliquando habet. Non certe ei crimini illud verti potest, quod nimiam remissionem cavet: sed inter solutam lasciviam et ferream severitatem medium quoddam erat. Nulla fere in quattuor Bolæi libris digressio invenitur, nisi cum, ultimi initio, Florentinum quendam inducit, qui ex pessimo medico optimus architecta evaserat. Omni ornamento abstinet, nec ullum laxamentum sibi ipse concedit. Valkelinus contra quam plurimis verborum sententiarumque luminibus suum poema ornat et distinguit. Summa diligentia nimiam austeritatem evitat: itaque similitudines, figuras ornamentaque alia ex aliis serit. Brevis quidem aliquando est, cum præcepta tradit et vates artis leges docet: immo quidam ejus versus referri possunt, qui in proverbii consuetudinem, veluti tot Bolæi carmina, merito venissent (1). Sed non semper arcum tendit et remissæ proprii ingenii venæ totus plerumque indulget. Est in ejus Arte aliquid læti et festivi. Nihil, ut exempla aliqua proferamus, jucundius esse potest, quam hæc jam relata similitudo inter poetæ ingenium placidaque lacus æquora. In primo libro artem carminibus scribendis necessariam esse eadem prope venustate et gratia per figuram ostendit :

... Quand un homme va pour un plaisant soulas
Dans quelque beau jardin dressé par entrelas
D'aires, de pourmenoirs et de longues allees,
Partis diversement en sentes egallees,
S'il marche dedaigneux par dessus les plançons
Des aires, compartis en diverses façons,
Et qu'il rompe en passant les bordures tondues
Et d'un gentil dedal les hayettes fendues
Au lieu d'aller joyeux par les petits sentiers
Divisant le parterre en ses divers quartiers,

(1) Ce sont tableaux parlants que les vers bien escrits (lib. I).

Le jardinier, fasché de voir les pieds superbes
De ce hautain gaster son jardin et ses herbes,
De mots injurieux a luy s'adressera
Et hors de son jardin depit le chassera...
De mesme en tous les arts formez sur la nature
Sans art il ne faut point marcher à l'aventure (1).

Bolæus hæc de *rhythmo* jejune scribit :

Au joug de la raison sans peine elle fléchit,
Et, loin de la gêner, lui sert et l'enrichit (2).

Valkelinus contra aptissima jucundissimaque figura utitur :

Comme on void que les voix fortement entonnees
Dans le cuyvre etreci des trompettes sonnees
Jettent un son plus clair, etc. (3).

In secundo libro non satis poesi esse, si placeat auresque mulceat, eodem prope modo ostendit :

Comme en la vigne on void dessoubs la feuille verte
La grappe cramoisie estre souvent couverte
Sans qu'on la puisse voir, ainsi soubs les discours
D'un conte poetique et dessoubs les amours
Des heros et des dieux entremeslez de fables
Sont des enseignemens richement profitables.

Nec timet Valkelinus a proposito nonnunquam digredi, ut festivior fiat. Primi libri fine de Polygnoto, Scopa et Diocle, tribus Antigoni pictoribus, historiunculam quandam loquaciter narrat; secundo in libro, juventutis suæ ætatem respicit, cum, ut ipse aït,

. . . . sans haine et sans envie
Nous passions dans Poitiers l'avril de nostre vie.

---

(1) Valk. *Ars poet.*, lib. I.
(2) Bol. *Ars poet.*, lib. I.
(3) Valk. *Ars poet.*, lib. I.

Multa alia exempla allegari possent: hæc vero, quæ supra rettulimus, satis ostendunt quomodo didactici operis severitatem temperet noster poeta. Illa ipsa festivitas eum certe in vitium sæpius trahit: parum pressus est, nimis verbosus, et ingenii sui prompta facilitate plus æquo delectatur; verum tamen in eo nitidus quidam color familiarisque licentia laudari possunt, quamvis ille non satis sanus esse, hæc vero ultra modum lascivire soleat.

De præceptis ac summa poesis disciplina, non multum Valkelino Bolæus, ut jam dictum est, addidit, eam vero laudem sibi vindicare merito potest, quod singulorum poematum leges certius expressiusque descripsit. Nihil dubii, nihil incompti esse sinit poeta; de omni re, quæ ad poesim pertinet, decretorio quasi modo judicat; ejusque breves acutæque sententiæ sanum illud et acre judicium testantur cujus ipse sibi conscius est. Magna quidem hæc virtus; sed, cum cuncta poesis genera fixis definitisque limitibus includere tentaret vates, timendum erat, ne poetarum venam angustioribus spatiis aliquando circumscriberet. Quod quidem vitium non semper vitare potuit. Epigramma, cujus vim recte Valkelinus expresserat, artioribus terminis Bolæus constringit. Tragœdiam austeris legibus subicit, quæ, etiamsi a Valkelino jam tragico operi essent impositæ, remissiores tamen apud hunc esse videbantur. Sed alia quædam gravius reprehendi debent. Idyllii, de quo paucissima Valkelinus scripserat, naturam fuse lateque explanare vult sexti decimi sæculi poeta; at, quanquam illud opus rusticæ puellæ comparat, versuum in hoc ipso loco magnificentia parum ad eam simplicitatem apta potest videri, quam simplicissimo generi ipse accommodari recte jubet (1). Pindaricam odam non satis intellegit, cujus leges, quales ab eo docentur, ad id valerent, ut nescio quem divinum mentis instinctum frigidus poeta assimularet et

(1) V. Egger. Op. cit., 27e leçon.

sedato animo baccharetur. Quæ autem de epico poemate tradit, ornatissimis certe atque politissimis versibus mandata sunt, sed veræ justæque hujus generis naturæ minus congruunt, quam Valkelini incompta vagaque de eodem carmina (1). Non secus in epico carmine atque in tragœdia, de domesticis fabularum argumentis, ad quæ poetas Valkelinus vocaverat, nullam, ne uno quidem verbo, mentionem facit, adeo veterum fautor est ac Græcæ Latinæque antiquitati tantum addictus! Quod heroïco opere quidquid ad christianam religionem attinet funditus excludit, nimis anxia religione sollicitatur; quod pro meris poesis ornamentis patria numina Græcis Latinisque poematibus interesse putat, parum antiquitatis intellegens videtur; quod denique æquales poetas hortatur, ut omnia quæ, in rerum natura, sincera ingenuaque ante oculos obversantur, mentitis deorum personis obtegant et adulterent, nullam, quæ sit vera meraque poesis, habere notionem videtur.

Illa fuit præcipua Bolaei laus quod judicii, quo vel in cantilena opus est (2), et rationis, ex qua sola nitorem pretiumque scripta petere vult (3), amantissimum semper ac pervicacissimum sese præstitit. Valkelinus quidem non ignoravit ipse quid ratio flagitet. Poesim, ut Bolaeus, pro cælesti dono habet (4), et divino quodam furore afflari poetas arbitratur :

. . . . . . De fureur sainte espris
Ils sentent tellement elever leurs esprits. . . .
Puis, quand cet eguillon plus ne les espoinçonne,
Ils remaschent leurs vers, leur Muse plus ne sonne (5).

---

(1) Egger. Op. cit., 22e leçon.

(2) Il faut, même en chansons, du bon sens et de l'art (lib. II).

(3) . . . . Que les écrits
Empruntent d'elle seule (la raison) et leur lustre et leur prix (lib. I).

(4) « La source en est toute céleste » (lib. I).

(5) Lib. I.

Sed bene novit artem cuilibet operi necessariam esse :

.. Tout par art se fait, tout par art se construit... ;
Et sur tous le poëte en son doux exercice
Mesle avec la nature un plaisant artifice (1).

Ingenium etiam, quamvis arte fortunatius esse putet, judicii et rationis imperio subicit :

Rends au bon jugement sujette ta fureur (2).

Immo in similitudine aliqua, quæ supra relata est, poesim non agresti nemori sed cultissimo comptissimoque horto comparat. Sed, quamvis multum in scribendo sanæ menti tribuat, tamen extra modum numerumque sæpius eum vagari fatendum est. Poesi nostræ acriore ac severiore disciplina opus erat, quæ audaciorem ac lasciviorem vatum impetum comprimeret. Itaque, etiamsi Bolæum poetarum venam aliquando artius coercere sit fatendum optime tamen de francica poesi meritus est, cui vaga omni solutaque licentia interdixit ac pro firmissimo fundamento rationem ipsam supposuit.

Non certe pervenisset Valkelini Ars poetica in tantam posterorum oblivionem, quamvis instituendæ poesi nostræ et ordinandæ impar esset, si, seu versibus, seu scribendi genere, limatior fuisset. Sed nulla ex parte tantum claudicat. Penitus ignorat Valkelinus quomodo duodecim syllabarum versus, quibus utitur, regi flectique debeant. Quanquam sexti decimi sæculi poetæ, Ronsardus in primis, nullis laudibus magis commendentur, quam quod peritissimi carminum artifices fuerunt, non tamen negandum eos magni versus vim et formam parum intellexisse. Valkelini carmina, soluta inconditaque copia profluentia, temere ferri videntur; non quidem illud vitio ei vertendum est, quod non certa constansque cæsura sit, quodque versus alter sæpius in alterum transiliat ; sed ex hac licentia,

(1) Lib. I.
(2) *Ibid.*

quam nostri sæculi poetæ perfectæ prope arti subjecerunt, Valkelini versus nihil nisi claudi et hiulci ducunt; eam nullo discrimine usurpat, quasi hanc tantum vim habere deberet, ut poetam alios ex aliis versus fundere, omni lege solutum, pateretur. Vagatur carminum modus, et, incerto gressu, nunc properat, nunc languet; modo sex, modo duodeviginti syllabis constare versum dicas. Quantum inter Valkelini Bolæique Artem in hoc intersit, explanare jam non opus est. In hujus carminibus nihil vagi, nihil non fixi : sensus semper una cum *rhythmo* in hemistichio suspenditur, in versus fine terminatur. Illud certe apud Bolæum reprehendi potest, quod ad unam eandemque norman pæne omnes versus, quoscumque pangit, redigere videtur : pendulum enim horologii pondus vibrari diceres, cujus ad fixos motus numeri modique se fingerent; sed hæc ipsa constantia, quamvis lætior sæpius varietas desideretur, poetæ versibus acutum quendam rigorem præstat, quæ cum didactico genere plane congruit : penitus animis auribusque sententiæ insident, et tanto altius memoriæ infixæ manent, quanto minus vaga remissaque sunt carmina, quibus inscriptæ fuerunt.

De scribendi genere idem inter poetam utrumque discrimen : Valkelinus nullam ætatis partem Lutetiæ inter aulicos egit; quamvis ejus sermo non in tanta pravitate versetur, quanta Bartassii, qui in Vasconia totam vitam traduxerat, nunquam tamen urbanitatem illam et incorruptam dicendi rationem assequi potuit, quæ apud Perronum Portæumque laudabatur. Quantum in versuum pangendorum arte peccaret, sibi conscius erat ; confitentem poetam secundi libri initio habemus :

> Faites que vostre grace, o riantes Charites,
> Couvre icy le defaut de ces regles escrites
> En vers mal agencez (1).

(1) Lib. II.

Sermonis autem vitia non ignorat, eumque pænitet, quod non sit magis enucleatus.

... Que ne soit sa Muse et plus nette et polie (1).

Recte hæc Daniel Huetius : « Si Vauquelin avoit joint à ses talents la politesse du grand monde, il iroit de pair avec les plus célèbres poètes de son siècle (2) ». Sed nunquam vati contigit, ut elegantissimorum ingeniorum, quibus Parisii domicilium erant, familiaritate frui posset. Immo queritur sæpe quod officia muneraque ipsum impediunt, ne satis diligentem operam poematibus suis impendat. Sermo ejus diffusus est, nec ullam habet concinnitatem ; verba parum idonea sæpius usurpantur, totum scribendi genus incultum. Bolæum contra, quamvis in poetico ejus stilo solliciti aliquando nonnihil sit et angusti, hoc Valkelino longe præstare manifeste patet, quod multo magis presso ac proprio sermone utitur ; nunquam circumfluens ac redundans, nunquam incertus ac vagus, nunquam mendosus est. Ars, etiam cum optime succedit, deprehendi potest ; sed nusquam in stilo lascivia, vel indiligentia, vel discors aliqua colorum varietas. Currente calamo scripsisse Valkelinus videtur : lituram et limæ laborem magis metuebat, quam ut enucleate presseque diceret. Bolæus contra nullum verbum ponit, quod non diligentissime examinaverit ; semper sibi ipse instat et sollicita cura omnia, quæcumque scribit, ad unguem castigat.

Ut jam paucis verbis concludatur, si ad totam utriusque operis disciplinam spectamus, septimi decimi sæculi poeta, quamvis Valkelinum ne novisse quidem videatur, eadem sæpe vel similia docet, sed multo magis expressa præcepta tradit. Quod ad poesis historiam attinet, Valkelino certe cedit Bolæus. Hoc præsertim superiori vati præstat, quod

(1) Lib. I.

(2) *Origines*, p. 554.

totum poema ad certum ordinem redegit, et sermone usus est, qui, quamvis nec Molerii vim, alacritatem, nitorem, nec Racinii elegantiam, suavitatem, numeros assequatur, plurimum tamen ex solida quadam sanaque dicendi consuetudine pretium accipit.

Ne illud quidem omittendum est, quanquam ad ipsam utriusque poematis collationem non pertineat, Valkelini Artem poeticam minimum momenti habuisse; eo enim tempore edita erat, quo Malherba superiorum vatum opera gloriamque penitus jam aboleverat; serius in manus hominum pervenit, quam ut eam auctoritatem potiretur, qua esset profecto usa, si ante septimum decimum sæculum enotuisset. Ceterum Valkelinus unus tantum erat ex multis poetis qui eadem tempestate florebant : non magnum per se momentum habet. Ad hoc, in ætate, qua vivit, linguæ poesisque disciplina totiens mutata est, ut nullam legem in perpetuum duraturam existimare ipse possit. Bolæus contra, maximis ætatis suæ poetis adnumeratus, ab omnibus velut Parnassi rex salutatus, pro oraculo habetur. In iis autem temporibus viget, quibus sermo poesisque a longa omnium rerum perturbatione tandem requiescunt. Magnus ab integro sæculorum ordo natus esse jam videtur : in litteris non aliter quam in Republica et in moribus disciplina nuper restituta fuit, et, qua tempestate Artem poeticam vates aggreditur, non ignorat sibi hoc evenire munus, ut ipsas gallicæ poesis leges æterno monumento inscribat. Bolæi opus suprema quasi poeticæ norma, statim ut fuit editum, a cunctis æqualibus vatibus judicatum est; et, nunc etiam, post duo sæcula, quamvis multa in hoc præcepta ætatis nostræ poetæ respuerint, maximo tamen in honore et summa in observantia non immerito habetur. Quotienscumque gallica Musa audacius exsultare tentabit, Bolæus eam ad bonam mentem et ad rectum sanumque judicium revocabit.

Quemadmodum firmæ disciplinæ studio, subtili judicii

acumine, jejuna sermonis sanitate, suæ ipse ætatis virtutes effingit septimi decimi sæculi vates, ita Valkelinus a Fraxineto vere ad illud sextum decimum sæculum pertinet, cujus et lasciviam, et tumultum, et nondum adultam linguam, et nondum digestam eruditionem præ se fert; sed in omnium rerum certamine et controversia non obliviscendum nobis est eos jam fructûs natos esse et paulatim mitescere, quos felicioris ætatis poetæ olim decerpent. Ad sexti decimi sæculi origines perfecta tandem proximi sæculi poesis revocari debet. Inter vates Ronsardi æquales, nemo magis quam Valkelinus, inter Valkelini opera nullum magis quam Ars poetica hoc verum esse confirmat.

Etenim, in hoc centum prope annorum spatio, quod a Fabri Arte usque ad Valkelinum emensi sumus, miro modo profecisse nostram poesim nemo infitiari potest, quæ, cum in primis sæculi annis, omni poetico sensu impetuque aliena, nihil aliud esset, nisi verborum *rhythmorum*que vermiculatum quasi pavimentum, non modo totum jam instrumentum et quasi supellectilem, Græcorum Latinorumque vatum alumna, reparavit, sed etiam novo demum sanguine et suco penitus imbuta est, ac maximis auctibus in magnum altumque increvit. Poetica quasi flumina ultra modum effusa cohibebunt quidem Malherba Bolæusque; sed non deflectetur amnis, et, intra ripas revocatus, eundem semper alveum retinebit.

VIDI AC PERLEGI :
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona
A. d. V. Kalendas mart. ann. MDCCCLXXXII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX

Nanceii. — Ex typis *Nanceianæ Officinæ* a Gebharto rectæ.